



PROGRAMM,

womit

zu der auf Dienstag, den 8. April 1862, angesetzten

öffentlichen Prüfung der Zöglinge

des

städtischen Gymnasiums zu Danzig

ergebenst einladet

Dr. FR. WILH. ENGELHARDT,

Director.


Inhalt:

- 1) M. Terenti Varronis Eumenidum reliquiae. Rec. et. adnot. Roeper. Partic. tertia.
- 2) Jahresbericht vom Director.

DANZIG,

Druck von Edwin Groening.

1862.



M. Terenti Varronis
E U M E N I D U M

reliquiae.

Recensuit et adnotavit

Theophilus Roesper.

Particula tertia.

Varronis Eumenidum quae supersunt reliquiarum particulam tertiam cum adnotatione mea editurus peto a viris doctis ut, si quibus de locis latius a me ac parum pro huius aetatis elegantia disputatum esse iudicent, leniter id placateque ferre velint cum alias ob causas, quas in particulae alterius praefatione attingi, tum propter criticorum quorundam praestantiam, quorum in sententiis referendis examinandisque non putavi agi oportere perfunctorie. Accessit ad eos nuperrime vir iudicii nescio utrum acumine an acrimonia magis conspicuus Lucianus Muellerus libro de re metrica poetarum Latinorum edito Lipsiae in aedibus B. G. Teubneri a. MDCCCLXI. Is in Varronis saturis emendandis ad suosque numeros redigendis tam strenue multis in locis versatus est adeoque sibi placuit, ut, licet nihil sit eo homine in iudicanda aliorum opera fastidiosius atque superbius, contemnere eum religioni duxerim. Adparatus critici, quem vocant, augmentum mihi factum est benevolentia Ludovici Mercklini Dorpatensis, qui codicis Tornesiani quartum Nonii librum continentis conlationem a Friderico Duebnero sibi datam humanissime mecum communicavit. Gratias ago viro clarissimo, cui ut multa iam debent litterae Varronianae, ita easdem etiam plura spero esse debituras. Sed iam ad propositum veniam et ipsas Eumenidum reliquias inde a fr. 32 tractare pergam.

32. (11 R.). Nonius III, 33 p. 245, 23: „Aura est ventorum. —. —. Aura adactus. Varro in Eumenidibus: *simul ac languido corpore solis calidior visa est aura.*“

In lemmate var. lectt. ed. 1583 *adauctus*. Dubito an scriptum fuerit *adtactus* ea sententia qua *adictum* dixit Lucretius I, 689. III, 673.

In Varronianis *corpori* scripsit cum Oehlero Ribbeckius; recte ad sententiam, nisi credimus non abstinuisse Varronem dativis tertiae declinationis in *e* exeuntibus, quibus ut veteres usos esse constat, ita eosdem in formulis quibusdam et in volgi consuetudine etiam diutius haesisse videmus; qua de re cfr. Quintilian. inst. I, 4, 17. Conr. Schneider Formenlehre I p. 200 sqq. Struve lat. Declin. u. Conjug. p. 28. Ramshorn lat. Grammat. §. 28 III Anm. 2. O. Müller ad Varr. ling. lat. V, 4, 40. Weissenborn lat. Schulgramm. § 67 Anm. 1. Mommsen in Mus. Rhen. nov. VIII p. 459 sq. Corssen Ausspr. Vokal. u. Beton. d. lat. Spr. I p. 215 sq. 269.

Atque e illa qui uterentur scribentes pro *i* vel *ei*, cum omnis non tam in sono quam in scriptura videatur constituisse differentia, eos non corripuisse sed produxisse eam litteram et ratio docet nec exempla sunt quae dedoceant.¹⁾ Neque tamen equidem ipsum sic scripsisse Varronem crediderim nisi pluribus certisque accedentibus locorum testimoniis, quibus adhuc destituor; atque *ei* diphthongo, — si diphthongon dicere licet litteras duas unum sonum ancipitem significantes, — cum aliquotiens usum esse Varronem sciamus, librorum *corpore* exhibentium auctoritatem eo valere iudico, ut *corporei* ille dedisse videatur. Similiter in re simili iudicavit Lachmannus in Lucret. VI, 1143.

Numeros esse credo quos Ribbeckius constituit trochaicos septenarios:

‘ . . . ‘ . . . ‘ . . . *simul ac languido*
corporei solis calidior visa est aura ‘ . . . ,

quamquam video translata post novissima verba voce *corporei* senarios effici posse.

Auram solis hic a Varrone dictam pariterque quam ambrosiae et auri dixit auram Vergilius Georg. III, 416 et Aen. VI, 204, locis itidem a Nonio commemoratis, ita interpretatus est Mercerus ut ad atomicorum confugeret doctrinam, qui exuvias quasdam crederent fluere a rebus iugiter, putaretque dici in Vergilianis locis quamdam odoris et fulgoris, in Varroniano caloris exuviam. Quod certe a Varrone alienum

¹⁾ In epigrammate Plauti, quod e Varronis de poetis libro primo retulit Gellius I, 24, 3 pro eo quod quidam legebant: postquam est morte *datus* Plautus, comoedia luget, optimorum librorum fide constat legendum esse:

postquam est mortem *aptus* Plautus, comoedia luget.

Lucilii ap. Non. II, 262 p. 102, 22 non est versus heroicus quem putaverunt:

esuriante leoni ex ore exsculpere praedam;

sed cum in libris sit *esuriēti*, senarii sunt agnoscendi:

esuriēti leōni ex ore exsculpere

praedam

pro eo autem quod antecedit *Idem uti* reponendum *Idem* [lib. xx]viii. Eiusdem Lucilii e libro XXVII versum qui est apud Nonium III, 367 p. 371, 18 talem ediderunt Iunius et Mercerus Lucillique editores Douza et Gerlachius:

si facies praestat facie, si corpore corpus,

in quo videri possit *corpore* correpta ultima syllaba dictum esse pro *corpori*, praesertim quum in dandi casu Lucilium *facie* dixisse, non *faciei*, duobus exemplis confirmet Gellius VIII, 14, 22 sq. At primum *facie* neque in Aldina neque in novissima Nonii editione extat, (in Venetis ipse locus cum pluribus desideratur,) et est librorum mscr. auctoritate destitutum. Deinde etiamsi addendum est, versibus trochaicis septenariis conscriptus fuit Lucilii liber XXVII, et possunt ad eos numeros redigi verba hunc fere in modum:

‘ . . . si facies praestat facie, si corpore

corpore

Sin tamen non inprobabile est, fuisse versiculum heroicum hac forma:

si [facie] facies praestat, si corpore corpus,

et esse eum non XXVII libro tribuendum, sed XVII, cuius ad fr. 1 et 7 Gerl. (Non. I, 103. 104. p. 25, 32. 26, 12. Macrob. VI, 1) satis bene argumentum ei convenit, superest, ut praestandi verbum etiam cum ablativo coniungi potuisse credamus ea ratione, qua is casus comparativis subiici solet, tertiumque id exemplum accedat duobus locis Varronis Quinquatribus fr. 5 (Non. II, 8. III. 367 p. 69, 18. 371, 23): „an hoc praestat Herophilus Diogene?“ et Columellae rust. XI, 1, 16: „dici vix potest, quid navus operarius ignavo et cessatore praestet.“ Quamquam his quidem in locis non dissimulandum est legi posse *Diogenē* et *ignavō* et *cessatorē* i. e. *Diogenem* et *ignavom* et *cessatorem*, et Varronem alibi solere accusativum illi verbo subiungere, ut rust. II, 2, 10. III, 1, 3 et in fragmento Cati ap. Non. VIII, 10 p. 502, 23. Ceterum ad Quinquatrum locum quod attinet, de quo dixi Eumen. II. p. 40, malim nunc sic legere:

‘ . . . ‘ . . . ‘ . . . : an hoc

praestat Herophilus Diogene, quod ille aquam

e ventre mittat? hocin te iactas? at hoc

pacto utilior te Tuscus aquilex ‘ . . .

iudicari debet. Verius Wernsdorfius ad Priscian. perieges. 102 (Poëtt. Lat. minor. V p. 412) adnotavit auram generatim poëtis dici solere quicquid sensu aliquo tenui, visu, odore, auditu, quasi levi afflatu percipiatur. Aura enim omnibus videtur tribui posse rebus quarum vis quaedam per aërem, id est intercedente aliqua aëris motione, ad sensus nostros accidit. Ipsam vero loci sententiam Ribbeckius sic supplevit, viros muliebriter vestiri solitos (fr. 13) per aestatem (fr. 32) pellucas induere vestes et Naiadum undicularum (fr. 42) speciem habere. Credat qui volet! Probabile est de applicatione poëtam loqui.

33. (23 V. 19 R.) Nonius III, 421 p. 392, 3: „Stat etiam plenum est. —. —. Varro Eumenidibus: *denique quis sanus est avarus? cui si stet terra id traditus orbis, Furando tamen ac morbo stimulatus eodem, Ex sese ipse aliquid quaerat cogatque peculi.* —.“ Idem III, 79 p. 264, 20: Cogere, corradere. Varro in Eumenidibus: *furando tamen ac morbo stimulatus eodem, Ex sese ipse aliquid quaerat cogatque peculi.*“

Loco quem priorem posui Venett. omittunt in lemmate *est*, deinde totum Varronis exemplum; altero loco omittunt *eodem et aliquid*. Aldina v. cogere *furunculo*, v. stat *denique avarus quis sanus?*, deinde *terra et traditus*. Iunius ut Aldina, sed utroque loco *furando*; item Mercerius, nisi quod scripsit *sanus*; Iunium expressit Popma in edd. 1589 et 1601, sed in Durdrechtana est *traditur*, adscripto in margine *traditus*, unde *traditur* migravit in Bipontinam et in adparatum criticum Gerlachii. E codd. mscr. *cui stet* Genev., *cui est et* Basil.; *periculi* altero loco uterque.

Aldina plenioris loci lectio quin correctori debeatur, non potest dubium videri; unde sequitur ne Mercerio quidem hoc loco fidem habendam esse. Nec felices fuere virorum doctorum coniecturae pleraeque unius excepta emendatione Lachmanni. Coniecit Popma *frudando* conlatis Plaut. Aulul. 4, 9, 14 et Terent. Phorm. I, 1, 10, quasi *frudando* possit esse i. q. *semet defrudando*. Gerlachius in addendis coniecit *cui si sub terrarum frugibus orbis*, in quibus quod *sub* scriptum est pro *stet* typographum peccasse puto: verum si standi verbo, utpote plenitudinis notione adfecto, aliquem addere voluisset poëta ablativum copiae, quem vocant, non tam fruges videtur dicturus fuisse quam vel aurum vel pecuniam vel alias magni pretii res, qualibus non solet exsaturari avaritia. Nec igitur consultior Oehlerus, quum scribendum suspicaretur *cui si stet terra et frugibus orbis*; in hoc etiam inconsideratior, quod Mercerianum illud sive potius Aldinum *terra et traditus orbis*, quod et ipse edidit, interpretatur dictum esse per eam figuram quae vocatur *ἐν δια δνοῖν*, et construendum esse „cui si stet traditus terrae orbis“, quasi aliqua fuerit caussa cur non statim scriberet poëta *terrae traditus orbis*, aut si quo in libro vetere exaratum esset *terraetraditus*, id non esset sublato geminatae litterae vitio legendum *terrae traditus*; omitto enim *ἐν δια δνοῖν* hyperbato intolerabiliter disruptum. Illud vero prorsus temerarium, quod *stimulatus* mutavit in *stimulatur*, nempe propter „sequentes enunciationes coniunctivi modi *quaerat cogatque*“; constructum esse igitur *stimulare* cum simplice coniunctivo, qualem interdum sibi indulgeant verba impellendi. Quibus redarguendis satius est non inmorari. Nec denique, quamquam levius est, in eo sermonis Latini peritum se praestitit, quod pro *ipse* maluit *ipso*, quod aptiorem praebere ait sententiam, dedocendus grammaticorum observationibus, ut Ramshornii § 157 I e, Zumptii §. 696 ed. X, Weissenbornii § 311 Anm. 1, Krügeri §. 417 Anm. 1. 2., Madvigii § 487, 3 et Naegelsbachii lat. Stilistik § 91, 3 p. 247 ed. III. Adde quod omne istud quidquid erat acuminis pessum dabat elisio. Contra egregie locum emendavit Lachmannus in Lucret. II, 181 p. 85 tales scribens versus:

*denique qui sit avarus
sanus? cui si stet terrai traditus orbis,
furando tamen, a morbo stimulatus eodem,
ex sese ipse aliquid quaerat cogatque peculi.*

Eum recte fecerunt quod secuti sunt Vahlenus et Ribbeckius. Primum enim *terrai* proxime abest ab eo in quo codd. mscr. conspirant *terra id*, atque ut corruptionis ostendit originem, ita sono et antiquitate convenit ad ipsius sententiae severitatem; *terrarum* autem ne scriberet Varro, cum per numeros liceret, aut sua videtur consuetudine prohibitus fuisse, siquidem non terrarum ipse sed terrae orbem dixisse reperitur, ut rust. I, 2, 3. *καφῆς Μενίππου* fr. 13 O., aut certa quadam ratione, qua a terrae orbe orbem terrarum distingui docuit Wüstemannus ad Doeringii commentatt. p. 136 (Krebs Antibarbarus v. terra p. 767 ed. III). Deinde quum verba quae sunt in Nonii libris tradita *denique quis sanus est avarus* non quadrantia ad versus heroicis, quibus conceptum esse hunc locum neminem fugit, movissent Aldum, Iunium, Popmam, Mercerium, Oehlerum, ut primo versui relinquerent *denique avarus*, secundo *quis sanus* darent Aldus et Iunius et Popma, *quis sanus* Mercerius, *quis sanus* Oehlerus: Lachmannus postquam *terrai* rescribendum vidit et unius tantum pedis supplemento egere versum secundum, una relicta voce *sanus*, non potuit non scribere versu primo *denique qui sit avarus*; quo non modo effugit illud contractionis genus, quale est *sanus*, quo negat (comm. in Lucr. II p. 829 p. 122) post Ennium poetas Latinos usos esse in pangendis versibus hexametris atque elegiacis,¹⁾ sed etiam scribendo *qui* pro *quis* subvenit sententiae, quando non quaeritur elegantius efficaciusque quis avarus sanus sit, quam avarus qui sit quo pacto sanus is dici possit. Unam tamen obiici video posse verborum traiectionem, qua in emendendo Nonio Buechelerus Mus. Rhen. nov. XIV p. 428 negat utendum esse nisi rarissime atque in extremae necessitatis suffugio. Qui si audiendus est, quam in rem tamen nonnulla sunt a me in Vindiciis tertiis disputata, quoniam nullo modo detrectandi sunt numeri, vix quidquam relicuum erit quam ut versus primus talis fingatur:

— $\bar{\cup}\bar{\cup}$ — $\bar{\cup}\bar{\cup}$ *denique qui sanus sit avarus?*

secundus autem putetur capite suo truncatus esse intercepto aliquo vel nomine vocativo, ut *Gai*,²⁾ vel alio

¹⁾ Id iudicium si ad ea quoque versuum genera pertinere voluit quae post Ennium coepta sunt pangi a poetis Latinis, improbasse putandus est Scaligeri emendationem loci Varroniani qui est apud Nonium XII, 39 p. 528, 26 sic traditus: „Varro Ebdomadum sub imagine Demetrii: *hic Demetrius est catus* (ante Ald. *ratus*, Ald. et Iun. *natus*,) *quod lucas* (Merc. *quot lucis*) *habet annus absolutus*.“ Eum Scaliger catal. p. 220 instauratis hendecasyllabis sic refinxit:

hic Demetrius aeneas tot aptust,
quot lucas habet annus absolutus;

quam emendationem etiam nuper Ritscheliuſ mus. Rhen. nov. VI p. 515 et ind. schol. univ. Bonn. hib. 1856 p. VIII laude sua dignatus est ita ut cum Schradero et Meyero Bentleii ad Horat. serm. II, 3, 183 decreto obtemperans *aereas* legendum esse censeret. Et est sine dubio illud *tot aptust* optime a Scaligero inventum; accusativum vero equidem restituere malim *iconas* seu litteris Graecis *εικόνας*, propterea quod et hi Varronis Hebdomadum libri inscribebantur Imaginum vel de Imaginibus, et Laërtius V, 75. 77. 82 atque Strabo VIII, 1, 20 p. 398 in eiusdem rei commemoratione *εικόνων* vocabulo utuntur, quamquam *ἀνδριάντας* dicunt Plutarchus reip. ger. praecept. 27 et Dio Chrysostomus (?) or. 37, 41, statuas Cornelius Nepos vit. I, 6 et Plinius nat. hist. XXXIII, 6, 27. Ceterum, ut illuc redeam, Lucianus Muellerus in libro de re metrica poetarum Latinorum p. 345 sq. etiam post Ennium in hexametris Lucilium et auctorem de figuris vel schematibus ea contractione usos esse ostendit. Qui quem addidit ex analectis grammaticis ab Endlichero editis significatum sibi ab Henrico Jordano versum ludicrum exeunte saeculo a. u. c. septimo factum:

postquam Crassus carbo factus, Carbo crassus factus est,

non meminerat de hexametris dicere Lachmannum, de iambicis et trochaicis non Graeca arte factis nec praecipere illum, nec ante Phaedrum fabulatorem opus esse exemplis.

²⁾ *Gai* bisyllabum est apud Lucilium XXX, 28 (Non. II, 430 p. 125, 6) et Martialem II, 30, 6. VIII, 92, 7. X, 16, 1; *Gaius* trisyllabum apud Lucilium XI, 2 (Non. III, 111 p. 276, 23, Catullum 10, 31, Martialem V, 14, 5. VIII, 92, 4. 10. 12. XI, 36, 1. 8, denique Terentianum Maurum 897; *Gaianus* quadrisyllabum apud Statium silv. III, 9, 22; apud eundem silv. I, 6, 17 *gaioli* item quadrisyllabi iam *caseolis* cesserunt. Bisyllabo nomine usi sunt Ausonius epigr. 75, 1. 5. 9. Caesar. 2, 3 et Prudentius peristeph. 4, 183, item epigrammatarii incerti in Anthologia Latina 749, 1 et 1420, 1 ed. Meyer; quibuscum

vocabulo ad sententiam minus necessario. Porro verissime *a* scripsit versu tertio pro *ac*; neque enim furando *ac* morbo eodem stimulari potest avarus, sed furando quaerit peculium, a morbo stimulatur; et est prorsus legitimus praepositionis usus in re personam induente. Denique ipsam Nonii interpretationem Lachmannus correxit. In reliquis enim quos ille adfert locis, Lucilli „*stat* sentibus pectus“, Sisennae „caelum caligine *stat*“, Vergilii bucol. 7, 53 „*stant* et iuniperi et castaneae hirsutae“, quum *stare* aut sit aut esse possit i. q. *plenum esse*, in Varronis loco neque est neque esse potest. Neque enim, quemcunque aliquis pro verbo *traditus* substituet speciosissime coniectando ablativum nominis opes atque divitias significantis, id tam interest avari, plenus ut sit orbis terrae earum quas cupit rerum, quam ut nihil in eo sit quod non sit suum. Itaque *stet traditus* dictum est a poeta ita ut totius orbis terrarum opes in unius cessisse fingat hominis avari plenum certumque dominium, idque Lachmannum puto indicasse conlatis locis Lucret. I, 564. V, 199. VI, 1058; quibus in locis pariter cum participiis (*finita, praedita, fretae,*) coniunctum est standi verbum, eoque verbo verbi substantivi cum talibus participiis coniungi soliti vis addita perpetuitatis atque inmutabilitatis notione augetur atque intenditur. Quae si ita se habent, non videntur ii, qui, ut fecit Oehlerus, *ex sese* accipiunt *genium suum defraudando*, satis percepisse egregiam huius loci hyperbolen. Eam enim dicit poeta vim morbi esse, ut nullo iam praeter se domino relicto avarus in semetipso exerceat inveteratam furacitatem quaerendi scilicet cogendique peculii causa. Peculii autem quoniam volgo ea significatio est, ut recte neget Ulpianus lib. XXVII ad edictum (Digest. L, 16, 182) patrem familias peculium posse habere nec servum bona, adposite ad hunc locum Popma contulit verba Celsi libr. VIII Digestorum (Digest. XXXII, 1, 79, 1): „Proculus ait . . . audisse se rusticos senes ita dicentes, pecuniam sine peculio fragilem esse, peculium appellantes, quod praesidii causa seponeretur.“ De quaerendi denique et cogendi discrimine contulisse iuvabit locum Ulpiani lib. XX ad Sabinum (Digest. XXXIII, 7, 8).

34. (22 V. 15 R.). Nonius III, 5 p. 236, 24: „Apertum, nudatum. — . — . — . Varro Eumenidibus: *capite aperto esse iubet, ante lucem suscitatur*. — . — .“ Idem VI, 23 p. 452, 9: „Torrere non solum ignis, sed etiam frigus potest auctoritate. Varro Eumenidibus: *capite aperto esse iubet, ante lucem suscitatur, Frigore torret, venatum eicit ieiunio vellicem*.“

In alterius loci lemmate *auctoritate* om. Venett.; *authoritate Varronis* Ald., *auctoritate Varronis* Iun. In Varronianis altero loco *operto* Ald. Iun. cum cod. Leid., retinuitque Popma, cum *aperto* legendum esse vidisset Faber; *frigorte torret* cod. Bambergensis teste Ribbeckio; *eicit* edd. omnes ante Bas. 1842, *eiecit* Vahlenus et Ribbeckius e cod. Bamb., laudans ille Lachm. in Lucr. II, 951 p. 128; *reiecit reo ieiunio* ed. princ.; *ieiunò* Popma; *villicum* Iunius, Popma, Oehlerus, Vahlenus, *vellicum* Ribbeckius.

Versibus conscriptum esse locum ne Rothium quidem Oehlerumque fugit. Numeri sunt, licet obloquatur Muellerus metr. poet. Lat. p. 431, trochaici et prior versus capite truncatus satis bene sic legitur:

! . *capite aperto esse iubet, ante lucem suscitatur,*

convenit Prisciano instit. gramm VII, 5, 19 p. 739 P. ac Mario Victorino p. 2471, de quo tamen cfr. Schmitz. stud. orthoep. et orthogr. p. 7 in programmate gymnasii Marcodurani a. 1860. Nihil autem probat genetivus *Gai* bisyllabus apud Ausonium Caes. 3, 4 atque Apollinarem Sidonium carm. 5, 322. 7, 105 et in epigrammate Anthol. Lat. 927, 3. At *Gai* vocativus monosyllabus non videtur inveniri, cum *Pompei* Horatius carm. II, 7, 5 et *Voltei* idem epist. I, 9, 71 binis extulerit syllabis, *Pompei* tribus Ovidius ex Pont. III, 1, 1, cuius generis exempla plura adferri posse dicit Conr. Schneiderus Formenlehre d. lat. Spr. p. 64, quae mihi nondum occurrerunt praeter hoc unum, quod, cum nominativus qui sit *Maius* non videatur inveniri, Ausonius eclog. 3 distich. de mensib. 9 vocativum bisyllabum fecit *Mai*, pro quo is cuius est epigramma in Anthologia Latina 1037 v. 5 trochaei loco dixit *Mai*, haud sane comparandus ille cum barbarie Luxorii epigr. 27, 1. 8 (Meyer. 325) dicere ausi *Marcie*. Sed de hac et aliis quibusdam litterae *i* adfectionibus fortasse alio loco a me dicetur.

nec magis necesse erat ut mutato verborum ordine Vahlenus Ribbeckiusque scriberent

capite aperto iubet esse, ante lucem suscitatur,

Ritschelii de vocum trochaicarum oxytonesi legem (prolegg. Plaut. Trin. p. CCXXV sq.), ut videtur, secuti, quam in his versibus Plautinis Bacch. 83. Cas. 2, 3, 6. Pseud. 179. 648. Trin. 623. Stich. 741:

úbi tu lepide vóles esse tibi, méa rosa, mihi, dícito —
 néque salsum neque suáve esse potest quícquam, ubi amor non ádmiscetur —
 nátalem scítis mi esse diem hunc, úbi isti sunt, quibus vós oculi estis? —
 nam ístic sumbolúmst inter erum meum ét tuum de múliere —
 néscio quid non sátis inter eos cónvenit: celerí gradu —
 sí amabilitas tibi nostra placet, sí tibi ambo accepti sumus¹⁾ —

ut eius legis caussa aliquid praeter librorum fidem mutetur, quum adpareat, illam acuendi ultimas vocum trochaicarum syllabas licentiam, quam secundo ac tertio septenariorum pedi Ritschelius brevibus duabus sequentibus syllabis concessit, neque a quarto pede fuisse alienam neque sequentem iambum exclusisse, cuius rei exemplum luculentum est in versu Plaut. Capt. 287:

immo edepol proptér avaritiam ipsius ac tenáciam,

ut quidem recte mihi videntur legere nonnulli pro eo quod volgatum est „atque audaciam.“ Atque cum pyrrhichiacis idem hac in re ius esse debeat quod trochaicis, non satis caussae fuisse puto, quod earum licentiam secundi pedis et sexti, de quo cfr. Eum. II p. 24, finibus circumscriberet Ritschelius p. CCXXVII, neque opus esse ut in versu Plauti Bacch. 105

cúpio. dabitur ópera. aqua calet. éamus hinc intro út laves

mutato de Godofr. Hermanni coniectura verborum ordine legatur *calet aqua.*²⁾ Sed ad Varronis locum

¹⁾ Ita in libris scriptus est versus, quem variis a Ritschelio tentari coniecturis non erat necesse, si credere licet in voce quae est *ambo* tam obscurum nonnumquam, in familiari praesertim loquella, fuisse litterae *m* sonum, ut prior syllaba corripri posset. Sic fortasse *ambulare* quum scriberent, *a'bulare* dixerunt Florus et Hadrianus in epigrammatis anacreonticis amoebaeis, quae servavit Spartianus c. 16:

ego nolo Caesar esse,	ego nolo Florus esse,
ambulare per Britannos,	ambulare per tabernas,
* * * *	latitare per popinas,
Scythicas pati pruinas.	culices pati rutundos.

In quibus intercidisse Flori versum tertium, talem fere, si ludere licet „latitare per Genaunos“, tum propter Hadriani responsum verisimile est, tum quod quaterni ex hoc genere versus vel puri vel hemiambis mixti stropham facere inveniuntur, ut Prudent. cathemer. 6 et Prosperi Tironis exhortatio ad coniugem (Wernsdorf. poët. Lat. min. III p. 413), atque etiam inscriptio 5716 Henzenii, in qua post tres strophas vv. 13 et 14 adpendicis cuiusdam atque clausulae loco sunt. Cfr. Anacreont. 7. 11. 17. 22. 26. 36. 40. 41. 48. 50. 52 ed. Mehlhorn. Sed apud Florum et Hadrianum Casaubonus *ambulare* legi voluit itemque Lucianus Muellerus metr. poët. Lat. p. 366. *Sabucus* correpta antepaenultima est apud Serenum Samonicum 50. 102. 337. 503. 528. 787, qui volgo *sambucus* ac fortasse prima producta *sabucus* apud Lucilium XXVI, 72 (Non. II, 48 p. 74, 20). Apud scaenicos poëtas constat *nempe* modo pro trochaeo esse, modo pro pyrrhichio quasi sit *ne'pe*. De *typanis* iisdem dictis et *tympanis* vid. ad fr. 36.

²⁾ Soli igitur relinquuntur septenariorum pedes quintus et septimus, quibus eam licentiam neque ratio neque usus concessit, non prohibitam in octonariis, ut Plaut. Trin. 827:

nám pol placidum te ét clementem eo usqué modo, ut volui, usús sum in alto,

et Varr. Prometh. lib. fr. 12 ap. Non. II, 398 p. 120, 21:

fórum hara atque homines, qui nunc, pleriqué sues sunt existimandi;

quae quinti pedis exempla sunt, septimi hoc est Plaut. Pseud. 206;

is id facere, quibus ut miseri sérviant suis amor cogit,

redeamus, in quo de altero versu constituendo difficilior quaestio superest eaque cum emendanda lectione coniuncta. Ac nullus cum sit quem Rothius Oehlerusque reliquerunt versum, quoniam *ieiunio* non habet productam paenultimam syllabam, a Vahleno scriptum est:

*frigore [acri] tórret, venatum éiecit ieiúnio
villicum;*

a Ribbeckio:

*frigore extorrét, venatum éiecit ieiúnio
véllicum.*

Quos si forte in eo quod alter *acri* inseruit, alter *extorret* scripsit, canonis Lachmanniani movit severitas, excipiendum ab ea esse septenariorum pedem primum, dactylicisque vocibus trochaei loco ponendis ea in versus parte veteres poëtas non abstinuisse, ut Vahlenum p. 222 Fleckeisenus docuit, ita iam satis apud omnes constare arbitror; cfr. Philol. XVII p. 38. XVIII p. 235—238. Itaque si mutato ultimorum verborum ordine scribatur,

frigore torret, vénatum eicit véllicem ieiúnio;

ei equidem versui ab arte metrica quid vitio dandum sit me non videre profiteor. Sed ipsum illud *vellicem* ignotae latinitatis est, neque quod substituerunt sive *villicum* sive *vellicum* videtur probari posse. Primum enim *vellicum*, quod commendatum ab Oehlero Ribbeckius recepit, uno nititur loco Varronis rust. I. 2, 14 qui sic habet: „vilicus agri colendi causa constitutus atque appellatus a villa, quod ab eo in eam convehuntur fructus et evehuntur cum veneunt: a quo rustici etiam nunc quoque viam veam appellant propter vecturas, et vellam, non villam, quo vehunt et unde vehunt; item dicuntur qui vecturis vivunt vellaturam facere“; nihil autem caussae est cur in hoc saturae loco rustice loqui voluisse Varro videatur, iteret licet idem villae veriloquium ling. lat. V, 4, 35; deinde non *villicum* sed *vilicum* certum est scripturum fuisse Varronem, quam scripturam non modo in eius de re rustica librorum codice omnium praestantissimo a se repertam testatus est Victorius, sed servavit etiam Nonius III, 280 in Gerontodidascale fr. 6 p. 337, 13, eandemque et hic aliis quoque in locis exhibet, ut II, 85. 573. 897. III, 134. V, 35. XVII, 89 p. 123, 26. 143, 7. 186, 2. 3. 6. 7. 8. 212, 26. 431, 19. 479, 4 et aliorum scriptorum complurium ut Catonis, Ciceronis, Valerii Maximi, Frontini, Martialis, Iuvenalis, Prisciani, Digestorum, glossariorum quorundam, optimus quisque codex adhuc diligentius conlatus, denique inscriptionum tituli longe plurimi (cfr. Lachm. in Lucr. I, 313); ea autem scriptura quam non faveat *vellicem* in *vilicum* mutantibus, ut fecit Muellerus, facile adparet. Accedit quod venatio res est a vilici munere atque officio prorsus aliena. De quo praeter Ciceronem Verr. III, 50, 119 et Paulum in Digest. XIII, 3, 16 ita et Varro ipse rust. I, 2, 14. 13, 2. 36, 1 et aliquanto uberius Cato 2. 5. 142 atque Columella I, 8. XI, 1 Florentinusque in Geoponicis I, 1. II, 44. 45 praecipunt, ut nullas in eo venationis partes fuisse adpareat, Columellaque adeo fugiendum vilico venandi vel aucupandi studium, ne avocetur eius cura, diserte scribit XI, 1, 24. Nec multum profeceris recordando eundem esse Horatii epist. I, 14 vilicum silvarum et agelli, saltuariosque, qui maioribus in fundis a vilicis discernuntur (Petron. 53, 9. Ulpian. ad Sabin. XX in Digest. XXXIII, 7, 8), nonnumquam ita commemorari (Digest. VII, 8, 16, 1. XXXII, 1, 60, 3. XXXIII, 7, 12, 4. 15, 2), ut paene pro vilicis sint, quoniam ne ad hos quidem quo pacto aliquod, ut ita dicam, rei ferinae magisterium pertinuerit satis

si modo eum versum satis certo Ritschelius refinxit, de qua re in loco graviter adfecto est quod dubitetur. Ac forsitan lacuna potius laboret is locus quam additamento hunc fere in modum:

*sét nimis sum stultús, nimium fui indóctus [. . .] . . .
[. . .] ; is]ne illi aúdeant id fácere, quibus ut sérviant
súus amor cogit [ét] simul prohibet fáciant adversum éos quod malint.*

apertum est; quod autem, si in agro venationes essent, venatores quoque et vestigatores canes et cetera, quae ad venationem erant necessaria, instrumento fundi continebantur (Ulpian. ad Sab. XX in Dig. XXXIII, 7, 12, 12)¹⁾, quod coniuncti erant cum villa ornithones, leporaria seu vivaria, piscinae (Varr. rust. III, 2, 14, 3, 1, 12, 1—13, 2. Columell. VIII, praef. et c. 1), agebantque in ea aucupes, venatores, piscatores (Horat. epod. 2, 31 sqq. Martial. III, 58, 26 sqq. all.), quod etiam designat agricolis venandi tempus Vergilius laudatque canum venaticarum utilitatem (Georg. I, 307 sqq.), magistrisque pecoris, qui tamen alibi a vilicis diserte distinguuntur (Varr. rust. I, 2, 14 II, 1, 23. Cicer. pr. Planc. 25, 62. Apul. de magia 87), iaculi certamina poni facit (Georg. II, 529), non sunt haec omnia ita comparata, ut, si quando aucupabatur, venabatur, piscabatur vilicus, id non fortuitum magis quam cum eius persona coniunctum fuisse videatur. Et quod apud Martialem I, 50, 26 iubetur dominus venans illigatas mollibus plagis damas mactare et vernas apros leporemque callidum forti equo rumpere, cervum relinquere vilico, comes hic vilicus domino ac paene par adiungitur, non famulus subicitur, ut aliquis vel ἀρχωρὸς (Xenoph. cyneg. 2, 3, 6, 5), vel magister canum (Grat. cyneg. 328 sqq.), vel speculator (Arrian. cyneg. 19, 1), vel vestigator, indagator, alator, pressor (Isidor. origg. X, 282. Serv. in Vergil. Aen. III, 121), vel quae sunt denique alia familiae venaticae²⁾ ministeria, quem par esset a domino quamvis pravo venatum eiici ieiunum ac male habitum. Immo cum ipsius potius vilici esset curare ut culta vestitaque utiliter esset familia et a vento frigoreque et pluvia diligenter munita pellibus manicatis et sagatis cucullis (Columell. I, 8, 9. XI, 1, 21), item vigilare primum omnium familiamque ad opera producentem custodire ne ea statim a prima luce cunctanter et languide procederet (id. XI, 1, 14. 17); mihi quidem etiam sanius legi videretur *vilicus* quam *vilicum*, nisi et id ipsum etiam longius abesset ab illo quod scriptum est *vellicem* et alia relinqueretur dubitatio non minus difficilis ad eximendum. Nam ut largiamur potuisse vilicum sic venatum eiici a domino vecordi, illud vero quid sit quod *eiici ieiunio* dicitur, miror equidem aquam non haesisse interpretantibus; est certe, nisi quid me fugit, omnium ea de re altum silentium. Nam Popma quidem cum ederet *ieiunò*, illud fortasse significavit se non intellexisse, hoc suum quomodo intellegi vellet taciturnitate celavit, ac ne versiculum quidem talem sibi placuisse indicavit qualis sit *frigore torret, venatum eiicit ieiunò villicum*. Atque non magis hoc adverbio quam illo ablativo tempus videtur id Latine indicari potuisse matutinum, quod erat nondum soluto ientatione vel, ut Varronice et antique loquar, ieientatione³⁾ ieiunio, sicut dicebatur fieri aliquid diluculo, gallicinio, conticinio, crepusculo et quae sunt similia. Nec videtur *ieiunio* alius esse posse ablativus quam caussae, quem dicunt, is autem coniunctus fuisse cum vocabulo aliquo, in quo inesset notio quaedam hominis aliquo modo male adfecti. Id vocabulum aut intercidisse potest ante *ieiunio*, quasi hic versus fuerit: *frigore torret, venatum eiicit [languidum] ieiunio*, ut *vellicem*, quidquid est, tertio versui relinquatur; aut ipsa haec vox *vellicem*, sive integra est sive corrupta, cum potestatem eam haberet antiquitus, casu factum est ut neque iam extet alio loco ullo nec habeat unde ducatur, nisi quis dicat, ut verticem a vertendo, apicem ab apiendo, ita a vellendo adpellatum esse vellicem eum qui vellitur. Velli

1) Locum in quo aliud docetur meminisse me legere, sed notare neglexi.

2) Familiam venaticam cum dixi brevitatis causa, discerni volui a familia venatoria (Inscr. Henzen. n. 6718 = Gruter. p. CCCXXXIV, 11), quae pertinebat ad ludos amphitheatrales; cfr. Friedländer in Mus. Rhen. nov. X. p. 563.

3) Varro Marciore fr. 5 ap. Non. II, 440 p. 126, 13:

. *ut eat ac rempublicam administret,*
quod pulli ieiuent

Cfr. Ribbeck. com. lat. reliq. p. 143. Vahlen. coniect. p. 220.

certe poterat is dici ieiunio, cuius stomachum robustum ac valentem etiam acrius, ut puto, pungeret ac torqueret non concessum suo tempore ientaculum, quam lassum ac fastidiosum pervellerent acria illa apud Horatium satir. II, 8, 7 sqq. cenandi incitamenta. Corrupta autem si sit ea vox, nec tamen vilici potius quam eam, quam significavi, notionem ipsa sententia requirat, aliis velim prosperius quam mihi, quamvis multa anquirenti, coniecturam succedere. Interim equidem aut transpositis inter se extremis duobus verbis scripserim, ut supra indicavi:

frigore torret, venatum eicit véllicem ieiúnio,

praesertim quum litterarum *uelli* et *ieu* vel *icit* et *icē* pinguius exaratarum aliqua sit ad permutandum inter se similitudo et commendetur conclusa ipso versu sententia, aut lacuna laborare versum crediderim vel hoc modo:

*frigore torret, venatum eicit . . . ieiúnio
véllicem*

ut omissae vocis vestigium superesse videatur in illo *reo* editionis principis, vel, si vera est scriptura Bambergensis admittendumque trisyllabum illud non perfectum sed praesens *eiecit*, de quo haud iniuria antestatus est Vahlenus Lachmanni exempla in Lucr. II, 951,

*frigore torret, . . venatum eiecit ieiúnio
véllicem*

Quod enim scripserunt Vahlenus *frigore acri torret*, Ribbeckius *frigore extorrét*, utrumque nimium est, alterum verbo, otiosum enim est illud *acri*, alterum sententia, quod adfici homo dicendus erat, non confici. Quamquam ipsius lacunae supplementum satis idoneum ut nec paratum habeo et inventum iri despero, ita donec tamen inveniatur, illud quod primo loco posui, haud sane confisus fore ut multis probaverim, tenere interim satius duco.

Iam ad ipsam versiculorum sententiam quod attinet, Popma et Oehlerus cum superiori eos fragmento subiungerent, nescio an his quoque avaritiam notari a poeta putaverint. Vahlenus insaniam eius castigari existimavit, qui cum ipse delicatulae vitae indulgeat, vilicum quem aere paravit multis modis male habeat crudeliterque torqueat, mox ut nulli iam usui esse possit; favere autem ei explicationi locos Horatii sat. II, 3, 129 et Iuvenalis I, 93. Ribbeckius de insano venandi studio cogitavit, inter alias quas hodie dicunt „nobiles passiones“ a poeta reprehendo. Et hic quidem reliquis paullo venustior, sed tamen ut incerta res sit, siquidem non delectationis tantum, sed etiam fructuis causa venabantur, ut ait Varro Meleagr. fr. 1 (2 V.) ap. Non. VIII, 72 p. 492, 14. Mihi hoc solum liquere videtur, notari dominorum in servos inhumanitatem, perstringi autem eorundem stultam avaritiam cum proprii studii intemperantia coniunctam. — Venationis tempus hibernum potissimum fuisse, praesertim hominibus rusticis, multi testantur, ut Horat. epod. 2, 39 sqq. Vergil. georg. I, 307 sqq. Martial. I, 50, 19 sqq.; cfr. Xenoph. cyneg. 8, 1. Horat. carm. I, 1, 25. 37, 19. satir. I, 2, 105. Cicer. Tusc. II, 17, 40 all.; quamquam aliis quoque temporibus ei rei operam dedisse studiosos quum per se verisimile sit tum exemplis, si opus sit, conprobari possit. Velut Xenophon cyneg. 6, 13 solvendi canis vestigatoris tempus sic definit: *ἐὰν μὲν ἢ χειμῶν, ἂμ' ἡλίῳ ἀνέχοντι· ἐὰν δὲ θέρος, πρὸς ἡμέρας· τὰς δὲ ἄλλας ὥρας μεταξὺ τούτων*: similiterque Oppianus cyneg. I, 114 sqq.: *ἦώς μὲν τέταται περιδέξιός ἀγρευτῆρι πᾶσα, γαληνιώσα πανημερείοισι δρόμοισιν, εἶαρο φυλλοτόκῳ καὶ φυλλορόφῳ φθινοπώρῳ, at 129 χεῖματι δ' ἐν μεσάτῳ μέσον ἡματος ἀγρώσσοισιν, et 133 sqq. ἐν δὲ θέρει . . . ἐπ' ἄεθλον ἰκάνειν πρότη ὑπ' ἀμφιλύκη . . . ἢ πάλιν ἐσπερίῃσιν ὅτ' ἡέλιος ζυγὰ κλίνει. Quibus eisdem ex locis intellegitur, Varronis illud *ante lucem suscitatur* quam vim habeat ad significandam domini, vel quisquis est, inhumanitatem. Et quod scribit Xenophon 6, 5 *τὴν δὲ σιολὴν ὁ ἀρχυρωδὸς**

ἐξίτω ἔχων ἐπὶ θήραν μὴ ἔχουσαν βάρος, et 6, 11 τὸν δὲ κνηγέτην ἔχοντα ἐξιέναι ἡμελημένην ἐλαφρὰν ἐσθῆτα ἐπὶ τὸ κνηγέσιον καὶ ὑπόδεσιν, quaeque in eadem fere sententiam versibus exornavit Oppianus I, 97 sqq., ea ostendunt quam legem prave secutus Varronianus ille suum hominem capite aperto esse iubeat frigoreque torreat i. e. pellibus manicatis et sagatis cucullis carere velit, quibus Columella scribit frigora imbresque optime a familia prohiberi, ut omnis paene hiemalis dies in opere tolerari possit.¹⁾ Eademque ille vecordia, ne obesum mittat (Oppian. I, 81 sqq.), ieiunum eicit. Denique uri aliquem vel aliquid frigore, aduri, amburi, deuri, exuri, peruri Latine dici, ut Graece καίσεθαι et ἀποκαίσεθαι, multi exemplis congestis docuerunt, e quibus satis est nominasse Savaronem ad Apollinar. Sidon. carm. 5, 528 p. 70 et Drakenborchium ad Sil. Ital. Punic. III, 68; torreri praeter Varronem non aequè invenitur nisi quod apud Livium XXI, 32, 7 sunt „pecora iumentaue torrida frigore“ et 40, 9 „praeusti artus, nive rigentes nervi, membra torrida gelu.“ Fuerunt tamen qui torrentem Apuliae montes Atabulum eodem referrent ex Horat. sat. I, 5, 77 propter Plin. nat. hist. XVII 24, 37 et Apollinar. Sidon. epist. I, 5 p. 28 ed. Sav., nec male fortasse, quamquam alii dissenserunt. Ceterum hinc intellegitur frigendi verba qua ratione sint inter se coniuncta, quorum in alterutro contraria notio haesit.

35. (2 V. 35 R.) Nonius XII, 42 p. 529, 13: „Praeter pro ante vel per. Varro Eumenidibus: *en domum praeter matrem deum aedem exaudio cimbalarum sonitum*. —.“

Verba consensu librorum corrupte tradita emendare coepit Iunius scribendo *matris*, quod cum Popma, Oehlero, Vahleno contra Ribbeckium, qui retento accusativo qui est *matrem* alterum qui est *aedem* quasi glossema eiecit, probavi ipse Philol. XVII p. 85 sq.; nam quod inde ab Aldo scriptum est *cymbalarum*, litera graeca vix est emendationis loco habenda et Ribbeckius *cimbalarum* retinuit, ipsum Varronem credibile est scripsisse *cumbalarum*.²⁾ Deinde *domum* in *demum* mutavit Popma secutusque eum est Oehlerus, uti scriptum a Vahleno *commodum* recepit Ribbeckius. Mihi eo quem dixi loco, cum certum esset *domum* et *aedem* simul ferri non posse, altera vox alterius visa est esse interpretamentum vel utraque interpretationis caussa adscripta ad supplendum illud elliptice dictum *praeter matris deum*; et tales versiculos finxi: *en praeter matris deum aedem cymbalarum exaudio | sonitum*, vel *. . en praeter matris deum cymbalarum exaudio*, vel adhibito Vahleni invento *commodum praeter m. d. c. e.*, sive abiecto *en* sive extra versum posito. Quorum ego nunc nullum probaverim cum alias ob causas tum quod quodam tunc scribens sive oculorum errore sive memoriae lapsu, quam vir eximius, magister meus, ἄτην scriptoriam adpellare solet, deceptus eum quem ponerem verborum in ipsis libris ordinem esse opinabar. Quo cognito errore, cuius poenas ei qui numquam similiter erraverit haud aegre dabo, cum traiectionibus verborum nisi re ipsa cogente abstinendum existimem, ne illud quidem iam a me teneri patet, quod hoc fragmentum, cuius in versu secundo tres pro uno pedes trochaici supersunt, cum fr. 38 (3 V. 35 R.), cuius intercidit eodem ex genere primi versus pes primus, putavi posse continuari.

¹⁾ De cucullorum sive cucullionum usu cfr. Becker. Gall. II p. 98 = III p. 127 ed. Rein.

²⁾ Nonius II, 169 p. 90, 24 sq. et II, 868 p. 181, 26 in locis Cassii Heminae et Lucretii *y* habet. In titulo Beneventano Mommsenii inscr. regn. Neap. n. 1399 *cimbal* scriptum traditur, sed lectio laborat; in n. 1400 si his mendose editis *Fumanis* vel *Pymanis* significatur *cymbalistris*, quod suspicatur Mommsenius, non *i* scripta fuit, sed *u* vel *y*. At utrumque titulum criobolii et taurobolii mentio ostendit non esse Antonini Pii aetate antiquiorem (v. Marquardt röm. Alterth. III p. 96); priorem consulum nomina in annum 228 p. Ch. n. relegant. Nec *Bacchi cymbalis*(tria) Inscr. Orell. n. 2449, aut *Secunda cymbalistris* ibid. n. 2450 pariterque *Aelia Recepta tympanistris M. D. M. I.* ibid. n. 2451 aetatis sunt multo vetustioris.

Quamquam id quidem vix dubium est quin recte iudicantur Popma, Vahlenus, Ribbeckius, nulli eorum quae reliqua sunt fragmentorum locum fuisse inter frgm. 35 et 38, quae duobus interpositis minus scite Oehlerus seiunxit. Sed illuc redeo. Ac primum quidem *matris* genitivus antecedente praepositione *praeter* quomodo in accusativum *matrem* depravari potuerit, facile intellegitur, ut Iunii emendationem etiam nunc probem, Ribbeckii rationem improbem eisdem de caussis quas exposui in Philol. XVII p. 85 sq. Admisso autem genetivo non est cur deleatur *aedem*. Nec *domum* delendum potius quam emendandum, in quo felicior fuisse videtur Vahlenus quam Popma; nam *en* rem subitam indicat, *demum* diutius exspectatam. Quod autem Vahlenus suspicatur in compendio scripturae quale est *commodum* ansam fuisse corruptionis, satis probabile est, cum *modo* et *domo* saepius inter se permutata esse constet, ut Liv. XXXVIII, 13, 3, ubi vid. Drakenborch. et Horat. epist. II, 2, 199, quo de loco quae olim dixi pariter gaudeo occupata esse pridem a Gesnero, laudata a Meinekio. Sed illud quod restat *ē* vereor ne abierit in *e* id est in *en*. Quamquam cum optime legatur apud Plautum Stich. 365.

commodum radióssus se ecce sól superabat ex mari,

et Mil. glor. 1198:

ágite abscedite ergo. ecce autem *commodum* aperitúr foris,

vix est quod dubites num potuerit eadem ratione dici: *en commodum exaudio cymbalorum sonitum*. Ut est, de numeris non dubito, qui tales adparent videre volentibus:

! (en) *commodum praeter Matris Deum aedem exaudio
cymbalorum sonitum*

Praeter Matris Deum aedem autem est *praeter iens* vel *praetereuntium M. D. a.*, atque eadem fere vis est eius praepositionis in Ciceronis loco Verr. II, 25, 62, quem alterum attulit Nonius, „Servi . . . *praeter* oculos Lollii haec omnia (cenam et pocula) ferebant“, aliisque plurimis, qui vel in Handii Tursellino vel in ipsis lexicis commemorantur. Quorum cum plerique sint ita comparati ut, si paulo pinguius accipiatur vis particulae, *praeter* pro *ante* dictum videri possit, *per* tamen non fere substitui potest nisi forte ubi *praeter oram* aliquod fieri dicitur ut Liv. XXI, 22, 5. 26, 3. XXII, 14, 6. XXVIII, 42, 3. 13. XL, 41, 3. XLII, 48, 7 vel *praeter ripam* Liv. XXXVIII, 18, 9. Nonius igitur cum duo tantum haec habeat Varronis et Ciceronis exempla, aut ipse plura ab auctore suo adlata omisisse putandus est, aut hic locus in iis habendus qui sunt resectis exemplis curtati.

De Matris Deum aede in Palatio sita cfr. Becker. röm. Alterth. I p. 420 sq. Tempus autem designari videtur Megalesiorum quae inde a pridie Non. April. per septem dies agebantur (Merkel. de obscuris Ovid. fastorum p. XLIV sqq. Marquardt röm. Alterth. III p. 448 sq.). Ea autem sacra „tinnitu cymbalorum et son[it]u tympanorum cantusque Phrygii mulcentibus modulis“ (verba sunt Apuleii metamorph. VIII, 30) insignia fuisse omnes norunt. Ac nobilissimi sunt illi versus Lucretii II, 618 sqq.:

*tympana tenta tonant palmis et cymbala circum
concava, raucisonoque minantur cornuo cantu,
et Phrygio stimulat numero cava tibia mentis; 1)*

1) Eos in Bacchicis sacris describendis imitatus est Ovidius metamorph. III, 28 usitato poetis ea sacra cum Phrygiis confundendi more, quem iam Strabo X, 3, 13 p. 469 sq. Pindari (fr. 48 Boeckh. 57 Bergk.) atque Euripidis (Bacch. 55 sqq. 72 sqq. 120 sqq.) exemplis illustravit; possuntque addi non pauca et Graecorum, ut Aeschyl. Edon. fr. 54 D. 56 N. 58 H. Eurip. Cycl. 63 sqq. 204 sq. Phalaec. epigr. 3 = Anthol. Palat. VI, 165. Oppian. cyneg. 247. Nonn. Dionys. X, 388 sqq. (cfr. XIII, 214), XXXVI, 121, et Latinorum, ut Catull. 64, 261 sqq. Horat. carm. I, 18, 13 sq. III, 15, 10. Propert. III, 17, 34, 18, 6. Ovid. metam. III, 532 sqq. III, 391 sqq. XI, 16 sqq. Valer. Flacc. Argon. II, 266 sq. Stat. Theb. II, 78. III, 668. VIII, 221. Achill. I, 626. Nemesian. ecl. 3, 51 alia. Minimeque id mirum in recentioribus, gliscente ipsarum inter se

Adde Ovid fast. III, 183 sq. 213 sq. 341 sq. metam. XIII, 536. Catull. 63, 21 sq. 29. Propert. III, 17, 36. Vergil. georg. III, 64. Aen. VIII, 619 sq. Sil. Ital. Pun. XVII, 18 sqq. Claudian. in Eutr. I, 279. rapt. Proserp. I, 207 sqq.; e Graecis Homer. hymn. 13 (14), 3. Pindar. fr. 48 (57) ap. Strab. X p. 469. Diogen. trag. ap. Athen. XIII p. 636 a. Apollon. Rhod. Argon. I, 1139. Herodot. III, 76. Diodor. III, 58 sq. Polyæn. strateg. VII, 5 (ubi fortasse τῆς μεγάλης θεᾶς legendum pro τοῖς μεγάλοις θεοῖς, sed cfr. Lobeck. Aglaoph. p. 1226). Lucian. dial. deor. 12. tragodopod. 30 sqq. Anonym. ap. Suid. v. Γάλλοι, et qui facile ab aliis alii invenientur loci; quid enim attinet cumulare exemplis rem tritissimam? Et quamquam ne alia quidem sacra cymbalis magis quam tympanis carebant, ¹⁾ his tamen maxime videbantur esse propria, ut apud Iuvenalem VIII, 62 cymbala pulsans qui

confusione religionum exterarumque potissimum atque Asiaticarum cultu fanatico, ut adeo Bonae Deae sacra foedasse ea labes dicatur, Iuvenal. VI, 314 sqq; cfr. Plutarch. Caes. 9. Sic Livius quoque XXXVIII, 8, 8 et 10, 7 cymbalorum ac tympanorum pulsum strepitumque et 13, 12 corporis iactationem fanaticam, quae Magnae Matris sacris praecipue tribui solent, in Bacchanalium Romae actorum turpitudine commemorat. Item Pergami ex adytis Bacchi die Pharsalicae pugnae tympanorum ac cymbalorum sonitus totam urbem pervasisse dicebatur; Cass. Dio XXXI, 61. Caes. bell. civ. III, 105. Eodem pertinere videtur quod Bacchus in expugnanda India tympanis ac cymbalis pro tubis usus esse ferebatur (Diodor. II, 38. Lucian. Bacch. 4. Polyæn. strategem. I, 1, 1. cfr. Nonn. Dionys. XIII, 348 sqq.), indeque eorum usus apud Indos mansisse (Arrian. Ind. 5, 9, 7, 8, 9; cfr. Strab. XV, 1, 8 p. 688. 22 p. 694. 58 p. 712. Curt. VIII, 11, 19, 14, 10. Suid. v. σάλπιγξ. τύπανα. [Plut. Crass. 23. Iustin. XXXI, 2, 8.]) Corybantibus tympana tribuunt Euripides Bacch. 124 et Aristophanes Vesp. 119; cymbala Phalaecus 3, 5. Horatius carm. I, 16, 8, Minucius Felix Oct. 21, Servius ad Verg. Aen. III, 111. Deam Syriam pro Magna Matre adpellat Apuleius metamorph. VIII, 24. Cereris quoque teletae tympanis et cymbalis personuisse dicuntur, schol. Pindar. Isthm. 6 (7), 3, quod ad huius deae cum Rhea confusionem refert Lobeckius Aglaoph. p. 1225. Neque tamen plus fidei est scholiastae Platon. Gorg. p. 497 c. ad Eleusinia trahenti nobile illud symbolum: ἐκ τυμπάνου ἔφαγον, ἐκ κυμβάλου ἐπιον, ἐκερονοφόρησα, ὑπὸ τὸν παστὸν ὑπέδον, quam Clementi Alexandrino protrept. p. 11 S. idem Attidis atque Cybeles et Corybantum mystis tribuenti; cui nunc accedit emendatus ad codicis fidem a Bursiano locus Firmici Materni de error. profan. relig. 18 (19), in quo haec symboli verba referuntur: ἐκ τυμπάνου βέβρωκα, ἐκ κυμβάλου πέπωκα, γέγονα μύστης Ἀπτεως, cum olim legeretur γέγονα μυστικός; neque ad quod numen pertinere id Firmicus voluisset adpareret. Sed omnino, ut ait Apuleius de deo Socr. 14, barbara numina gaudebant strepitu cymbalistarum et tympanistarum et ceraularum. Ac prodidisse nonnullos scribit Plinius nat. hist. V, 1, 1, 7 Atlantem montem noctibus micare crebris ignibus, Aegipanum Satyrorumque lascivia inpleri, tibiaram ac fistularum cantu tympanorumque ac cymbalorum sonitu strepere. Neque ab Hebraeorum musica sacra alienus is strepitus fuit. Psalm. 105, 4 sq. αἰνεῖτε αὐτὸν (τὸν Θεὸν) ἐν τυμπάνῳ καὶ χορῶν, αἰνεῖτε αὐτὸν ἐν χορδαῖς καὶ ὄργανῳ· αἰνεῖτε αὐτὸν ἐν κυμβάλοις ἐν ἤχοις, αἰνεῖτε αὐτὸν ἐν κυμβάλοις ἀλαλαγμοῦ (cfr. Paul. epist. ad Corinth. I, 13, 1 χαλκὸς ἤχων ἢ κύμβαλον ἀλαλάζον. Eurip. Hel. 1352. Cycl. 65). Judith 16, 2 ἐξήραχτε τῷ Θεῷ μου ἐν τυμπάνοις, ἔσατε τῷ Κυρίῳ μου ἐν κυμβάλοις, ἐναρμόσιασθε αὐτῷ ψαλμὸν καινόν. Reg. II, 6, 5 καὶ Δαυὶδ καὶ υἱοὶ Ἰσραὴλ παίζοντες ἐνώπιον Κυρίου ἐν ὄργανοις ἡρμωσμένοις ἐν ἰσχύϊ καὶ ἐν ψαλμοῖς καὶ ἐν κινύροις καὶ ἐν νάβλαις καὶ ἐν τυμπάνοις καὶ ἐν κυμβάλοις καὶ ἐν αὐλοῖς. Add. Reg. I, 18, 6. Paralip. I, 14, 8. Nec omnino rara est in libris sacris tympanorum mentio atque cymbalorum, coniunctorum non modo cum tibiaram tubarumque cantu sed plerumque etiam fidium. Sed hunc quoque fuerunt qui a Phrygibus inventum putarent; Clem. Alex. Strom. I p. 307. Attin a quibusdam non cymbalis et tibiis sed fidibus cultum habes apud Hippolytum refut. haeres. V, 9 p. 170 ed. Duncker. et Schneidewin.

¹⁾ Vide notam superiorem; add. Eurip. Helen. 1346 sqq. Aristoph. Lysistr. 3, et de priore loco Lobeck. Aglaoph. p. 1225 sq., de altero p. 630. Ac non est quidem dubium, de cymbalis et tympanis sine deae nomine quae declamat Arnobius adv. nat. VII, 32, quorsum pertineant; sed quae Gabinius domi suae sacra coluerit, non definivit Cicero dicens in Pisonem 9, 20 „neque collegae tui cymbala ac crotala fugi“, et 10, 22 „quum collegae tui domus cantu et cymbalis personaret.“ Deformem ille haud dubie notavit et effeminatam mollitiem hominis, quem Semiramin adpellat prov. cons. 4, 9, talia, opinor, festa agentis, in quibus cymbalistris et crotalistris non tam religionis colendae quam stimulantiae libidinis causa adhiberentur, ut apud Petronium 22, 6 sq. et Propertium V, 8, 39. Priap. 27 „deliciae populi, magno notissima Circo, Quintia, vibratas docta movere nates, cymbala cum crotalis, pruriginis arma, Priapo ponit et adducta tympana pulsa manu, pro quibus ut semper placeat spectantibus orat, tentaue ad exemplum sit sua turba dei.“ Stat. silv. I, 6, 71 „cymbala tinnulaeque Gades.“ Iustin. XXX, 1, 9. Vergil. cop. 2. Claudian. epigr. 16 (Anth. Pal. VIII, 139). Arnob. II, 42. At Plautus ubi ad mollitiem significandam tympani mentionem facit, Poen. 5, 5, 38. Trucul. 2, 7, 48, vix aliunde quam a Phrygiis Matris Deum sacerdotibus similitudinem duxit; nec diversi sunt loci Vergilii Aen. VIII, 619. Ovidii lb. 458. Senecae vit. beat. 13. Herc. fur. 470. Cfr. Sueton. Oct. 68 et Demetr. de elocut. 97;

dicitur archigallum scholia interpretentur, Himeriusque scripserit ap. Phot. biblioth. c. 243 p. 369 b. Bkk. (eclog. 13, 3 p. 210 sq. ed. Wernsdorf) *πρῶτοι γὰρ Φρύγες αἰτίαν ἔχουσιν αὐλῶν τε ἐμπνεῦσαι καὶ ταῖς τελευταῖς ἀναμίξει τὰ κύμβαλα.* Descripsit autem galli habitum satis plene Philippus Thessalonicensis hoc epigrammate quod apud eum sexto loco legitur (Antholog. Palat. VI, 94): *ἀραξόχειρα ταῦτά σοι τὰ τύμπανα καὶ κύμβαλ' ὀξύδοντα κοιλοχείλεα διδύμους τε λωτοὺς κεροβόας, ἐφ' οἷς ποτε ἐπωλόλυξεν ἀχένα στροβιλίσας, λυσιφλεβῆ τε σάγαριν ἀμφιθηγέα, λεοντόδιφρέ σοι Πέη, Κλυτοσθένης ἔθηκε λυσοσητῆρα γηράσας πόδα.*¹⁾ Denique sonandi verbum *sonitus*que nomen in his organis satis usitata ac paene propria sunt. Catull. 63, 21: „ubi cymbalum *sonat* vox, ubi tympana reboant.“ Varro Eumen. fr. 36: „tibi typana non inani *sonitu* matri' deum *tonimus*.“ Lucretius II, 618 paronomasiam captans „tympana tenta *tonant* et cymbala circum concava.“ Seneca nat. quaest. II, 29: „ita cymbala et tympana *sonant*.“ Plinius nat. hist. V, 1, 1, 7: „eundem . . . tibiaram ac fistulae cantu tympanorumque et cymbalorum *sonitu* strepere.“ Varro rer. divin. XVI ap. Augustin. civit. dei VII, 24 loco non incorrupto: „cymbalorum *sonitus* ferramentorum iactandorum ac manuum et eius rei crepitus in colendo agro quid fit significant.“²⁾

36. (4 V. 36 R.). Nonius I, 245 p. 49, 19. „Tonimus positum sonamus cum modo, a tono. Varro Eumenidibus: *tibi tympana non inani sonitu matris deum tonimus*.“ Nonius I, 246 p. 49, 22: Tibinos, a tibiis modos. Varro Eumenidibus: *sonitus matris deum tonimus tibinos tibi nunc semiviri*.“ Nonius III, 251 p. 328, 10: lactare, excutere, commovere. Varro Eumenidibus: *tibi nunc semiviri teretem comam volantem iactant tibi galli*.“

37. (5 V. 37 R.). Nonius III, 2 p. 233, 11: „Anima, sonus. Varro Eumenidibus: *Frygios per ossa cornus liquida canit*. Anima iterum significat“ etc. Nonius III, 275 p. 334, 13: „Liquidum, suave, dulce. Varro Eumenidibus: *Frigus per ossa cornus liquida canit anima*.“

add. Lobeck. Aglaoph. p. 1015 sq. Item apud Quintilianum inst. V, 12, 21 „tympana eloquentiae“ (cfr. *τυμπανίζειν* Philostrat. vit. sophist. I, 21, 5 et *τύμπανον φροσῆν* Theodorid. epigr. 8, 8 = Anth. Pal. XIII, 21, 8) et quod de cymbalis dixit XI, 3, 59 ac prorsus similiter Plinius epist. II, 14, 3, ad turgidae enervisque artis reprehensionem pertinent. At Staius Theb. VIII, 221 sq. in victoriae laetitia sonare facit gemina aera Idaeaeque terga et buxum, Bacchicae religionis musicam ad omnia Thebanorum numina transferens. Et apud Aegyptios, ut scribit Himerius orat. 14, 9, exundante Nilo *οἱ πλωτῆρες ἐπερήθονται καὶ χορεύουσιν ἀντὶ τῶν ὀπλων τῶν ναυτικῶν φέροντες κύμβαλα.* In concentu nuptiali cum aliis organis tympana et cymbala commemorat auctor epithalamii Laurentii et Mariae v. 60 sq. (Anth. Lat. 1143 M. Wernsdorf. poët. Lat. min. III p. 496). Celsus med. III, 18 in insanorum cura ad quorundam discutiendas tristes cogitationes ait symphonias et cymbala strepitibus proficere. Clemens Alexandrinus paedag. II, 4 *χρῶνται γοῶν παρὰ τοὺς πολέμους αὐτῶν Τυρρηνοὶ μὲν τῆ σάλπιγγι, Σύριγγι δὲ Ἀρκάδες, Σικελοὶ δὲ πηκτίσι, καὶ Κρήτες λύρα, καὶ Ἀσκεδαμόνιοι αὐλῶν, καὶ κέρσι Θορῆες, καὶ Αἰγύπτιοι τυμπάνῳ καὶ Ἀραβες κυμβάλῳ.* Omisi autem consulto in his, quae de cymbalis et tympanis conlegi, locos plerosque quae ad mutatum Romae sub Caesaribus Matris Idaeae cultum pertinerent. Alios quosdam vide apud Hildebrandum ad Apul. II p. 652 sq. Lampii de cymbalis librum inspicere non potui.

¹⁾ Erycius Cyzicenus epigr. 2 (A. P. VI, 234): *γάλλος ὁ χαίταις ὁ νεήτομος ὠπὸ Τυμῶλον Λύδιος ὀρχηστὰς μίαζ' ὀλολυζόμενος τῆ παρὰ Σαγγαρίῳ τάδε ματέρι τύμπανα ταῦτα θήκατο καὶ μίστιν τὰν πολυαστράγαλον ταῦτά τ' ὀρειχάλκον λάλα κύμβαλα καὶ μυροέντα βόστρυχον, ἐκ λύσσης ἄρτια πανσάμενος.* (Scripsi ταῦτα adverbium pro ταῦτα, Meinek. anthol. Graec. p. 207 *παμμάτορι*, quem in relicuis secutus sum; idem analect. Alexandr. p. 235 nescio quo errore λάλα τύμπανα.) Epigr. adesp. 174 (A. P. VI, 51) v. 3—8 *σοὶ (Rheae) τάδε θῆλος Ἄλεξες ἐὼς οἰστροῦματα λύσσης ἀνθεται, χαλκοτύπου πανσάμενος μανίης, κύμβαλά τ' ὀξύφθογγα βαρυφθόγγων τ' ἀλαλητὸν αὐλῶν, οὓς μόσχον λοξὸν ἔκαμψε κέρως, τύμπανά τ' ἠχένια καὶ ἀματι φωνιγθέντα φάσγανα καὶ ξανθὰς τὰς πρὶν ἔσειε κόμας.* (De primi et quinti distichi emendatione cfr. Meinek. delect. p. 230; a quo nolim ἀχραιοσύνης scriptum pro ἀχραιοσύνης, cuius vocis et itacismus est in homine labentis Graecitatis ferendus et sententiam bene explicuit Iacobsius delect. epigr. p. 4 tueturque „Cybebe fera montium dea“ in versu Maecenatis ap. Atil. Fortun. p. 2677 P. et Diomed. III p. 514 P. K.). Adde Rhiani epigr. 8 al. 9. A. P. VI, 173. Meinek. anal. Alex. p. 210.

²⁾ Emendabit haec Mercklinus; interim talia conieci: *iactationem — crepitum — qui — significat.* Ceterum Servius in Vergil. Georg. III, 64: „Matris cymbala: quae in eius tutela sunt ideo, quod similia sunt hemicycliis caeli, quibus cingitur terra, quae est mater deorum.“ Eadem leguntur apud mythographum tertium p. 159 ed. Bode.

Duo haec fragmenta, quorum idem est metrum galliambicum, coniunctim tractare constitui, non quod ipsa inter se continuata esse a Varrone putem, quamvis exiguo in eodem cantu intervallo disiuncta olim fuerint, sed, a criticis quibusdam in unum conglutinata quod essent, ne eadem de re bis esset dicendum. — Ac fr. 36 quum in tres tribus locis particulas Nonius discerpserit, primo in loco nihil variant libri praeterquam quod *inanis* scriptum est in cod. Leid. et edd. Venetis et Aldina, *sonitum* in eisdem et cod. Guelferb.; alter totus omissus est in Venetis, in Iunianis ita mutilatus, ut una cum verbis Varronis id quod sequitur lemma *Directi dicti crucifixi, quasi ad diem erecti Varro Eumenidibus* per homoeoteleuton interciderit. Supplesse lacunam Iunius dicitur in Erratis, in ed. 1583 notis e codice N. Fabri haec referuntur: *Sonitus Matri Deum tonimus tibinos seminici* et *Directi dicti cruce fixi*. Tertio in loco exceptis iis de quibus dictum est part. II p. 2 nihil variatur in libris. — Fr. 37 loco priore edd. ante Gerlachium *Phrygios*, cod. Tornesii *perosa*, edd. Ald. et Iun. *cantus pro cornus*, Ald. Iun. Merc. *anima. Anima*; loco altero Merc. *Phrygius*, Venett. *Tornus*; in utroque variae lectiones ed. 1583 commendant *Phrygiis* et priore *cornus*.

Fr. 36 Scaliger in Catalectis vel Vergilii appendice p. 224 his concepit galliambis:

*tibi tympana haud inani sonitu, Dea, tonimus,
sonitum aeris intonamus tibi nos semiviri.
teretem comam volantem Galli tibi iacimus.*

Eos repetiit Ger. Io. Vossius de idololatr. I, 20 p. 157 ed. 1675. Popma, quum in ed. 1589 nullis distinctis versibus scripsisset: *tibi tympana non inani sonitu matris Deum tonimus: tibinos tibi nunc semiviri: teretem comam volantem iactant tibi galli*, in ed. 1601 haec numerorum simulacra exhibuit:

*tibi tympana non inani sonitu Matris deum
tonimus: tibinos modos tibi nunc semiviri;
teretem comam volantem iactamus tibi Galli.*

Quae deleta in fine versus secundi semicolo, quod vocant, positaque post *modos* virgula migrarunt in editiones Durdrechtanam et Bipontinam. Hinc profectus Godofredus Hermannus de metr. poetar. Graec. et Latin. (Lips. 1796) scripsit p. 342

*tibi typana non inani sonitu, mater deum,
tonimus; modos tibinos tibi nunc: semiviri
teretem comam volantem iactant tibi Galli.*

Quae sic probavit Naekius sched. crit. p. 22 sq. (opusc. I p. 36 sq.) ut *typana, non inanis sonitus* scribendum iudicaret. Ea Naekii emendatione recepta idem Hermannus elem. doctr. metr. (Lips. 1816) p. 506 illud *modos tibinos*, ut soli editioni a. 1614 debitum et quod ipse Mercerus a mala manu esse censuisset, iam non inserendum ratus in hunc modum fragmenta coniunxit:

*tibi typana, non inanis sonitus matris deum
tonimus: tibi nunc semiviri
teretem comam volantem iactant Galli: tibi
Phrygius per ossa cornus liquida canit anima.*

Atque ita conformatos versus in Anthologiam veterum Latinorum epigrammatum et poematum recepit Henricus Meyerus n. 35, cuius ex annotatione video Nobbium in programmate quod scripsit de versu galliambico p. 14 secundum et tertium versum sic legendos coniecisse:

*tonimus modos tibinos tibi nunc: semiviri
teretem comam volantem iactant tibi, domina;*

nomen quod est *galli* ut glossema superioris versus eundem delesse. Oehlerus in plerisque Hermannum secutus versus secundum et tertium tales edidit:

*tonimū! tonimus tibinos tibi nunc semiviri,
teretem comam volantem iactant Galli tibi.*

Ex his Scaliger, nimia quidem ille usus in verbis mutandis licentia, solus tamen veros ac puros galliambos tribuisse Varroni censendus est. Nam de Popma ne quid dicam, cui eiusmodi in rebus nulla vel ars videtur fuisse vel scientia, Hermannum priori in libro ea fefellit opinio, quod non ionicos a minori huic metro subesse pedes putabat, sed praemissa anacrusi ionicos a maiori, eosque posse, ut in Sotadeis, non modo cum molossis sed etiam epitritis tertiis atque adeo choriambis permutari. Ea opinione altero in libro abiecta cum egregie perspexisset a tetrametris ionicis a minori catalecticis galliambos non alia re differre quam quod anaclasin contractionesque et solutiones recipiant, in eo tamen ab huius metri sinceritate videtur descivisse, quod in versibus anaclomenis priorem utriusque hemistichii pedem pro paeone tertio vel palimbacchio etiam ipsum ionicum a minori vel molossum esse posse, vel, quod idem est, syllabam, quae antecedit epitritum secundum in quem exit prius hemistichium, eamque, quae creticum quo posterius clauditur, esse ancipites existimavit. Certe quod ancipitis syllabae rationem quamdam ab anaclasis natura ipse repetivit p. 470, id in galliambis adeo non comprobatur usu, omnino nulla ut sint priore in hemistichio exempla ancipitis, nulla in posteriore extra hos versiculos Varronianos, quorum de emendatione atque forma disceptatur. Non ferenda sunt igitur haec hemistichia *sonitus matris deum* et *iactant Galli tibi*. Ea ego re permotus olim in Philol. VIII p. 234 (cfr. p. 571) versus exhibui Scaligeranis quam Hermannianis similiores, in his discedens a Scaligero, quod versu primo restitui *typana non*, secundum talem feci: *tibi mater, tibi nos nunc tonimus semiviri*, in tertio scripsi *tibi Galli iacimus*. Qua in re mitigaturus Scaligeri licentiam tamen nec ipse, quamvis audendum aliquid esset in depravatione manifesta, satis modeste egisse mihi videor et reprehendit secundi versus sententiam non inmerito Vahlenus p. 22. Neque vero aut ego, quamvis dubitanter, meam illam proposuissem coniecturam aut suam Vahlenus, quam multis ultro citroque disputatis talem exhibuit coniect. p. 22:

*tibi typana, non inanis sonitus, tibi tonimus:
tibi nos [cymbala crepimū]: tibi nunc semiviri
teretem comam volantem iactant: tibi [Cybele]
Frygios per ossa cornus liquida canit anima:*

si non ignoravissemus aliam longe praestantiorē ante nos esse factam a summo viro Carolo Lachmanno in prooemio indic. lect. aestiv. univ. Berolin. a. 1848 p. 3, qua hanc in formam Varronis verba erant redacta:

*tibi typana non inani sonitu, matri deum
tonimus modos tibi, nos tibi nunc semiviri
teretem comam volantem iactamū galluli.*

Cognita ea nec Vahlenus dubitavit suum abicere commentum p. 176, et ego tantum abest ut mei tenacior sim ut abiecturus iam pridem fuerim, nisi hanc ipsam tractandi loci occasionem expectandam putassem. Tanta autem est et Vahleni et vero mea Lachmanniani ingenii admiratio, quam saepe sumus testificati, eoque cum pudore ultro fassi sumus illud quidquid est facinoris atque flagitii, quod quibusdam prorsus egregiis, quis negat? sed tamen prooemiolis (quod genus quam facile delitescat atque illis temporibus etiam facilius delituerit multi sciunt experti) sero cognitis commiseramus nolentes, ut Luciani Muelleri juveniliter, ne quid gravius dicam, maledicentis convicia (de re metr. poët. Lat. p. 35) hac quidem in re satis iam

aequo animo tolerare posse videamur.¹⁾ Nec tamen ipse, ut fecerant Vahlenus et Ribbeckius, in Lachmanni emendatione adquevit Muellerus, quem arguit ultimo versu a traditis aequo longius recessisse, maxime inpatiens dictionis deminutivae hoc loco non aptae et carmine galliambico indignae; „binis“ verbis traiectis sic pulcherrime habere dicit omnia:

*tibi typana non inani sonitu, matri' deum
tonimus modos tibi nos, tibi nunc semiviri.
iactant comam, volantem tibi Galli, teretem.*

„In quibus“, inquit, — nolo enim eius scientiae per me quidquam interire, — „quam bene habeant bina epitheta comae, nemo non sentiet, qui poesis galliambicae rationes probe habet perspectas. quae tamen, ne trahatur oratio, seiungi oportet interstitio quodam uocis ut a substantiuo suo ita interse prout fit in Homericis ἀνδρα μοι ἔννεπε Μοῦσα, πολύτροπον et δῶκε μὲν οἱ πέλεκυν, μέγαν, ἄρμενον ἐν παλάμῃσιν.“

Scaligeri igitur et Hermanni, summorum virorum, emendationes quibus laborent vitiis, satis iam dictum videtur; de Popmae, si modo est aliqua, ne opus quidem est dicere; meam damnavi ipse coniecturam, suam Vahlenus, merito uterque; restant Oehlerus, Nobbius, Lachmannus, Muellerus. Sed videamus de singulis. Ac primum quidem *typana* quin optime restituerit Hermannus, nemo post eum aut dubitavit aut potuit dubitare; de ipsa vocabuli forma exposuit Naekius sched. crit. p. 21—25 (opusc. I p. 34—40), qua quod ex scenicis poetis unum Diogenem tragicum ap. Athen. XIII p. 636 a. usum esse scribit Meinekius com. Graec. fragm. III p. 531, videntur excipienda esse chorica carmina (Eurip. Helen. 1347. Herc. fur. 889 sed non

¹⁾ Taxandis versibus Vahlenianis, postquam ipse qui fecerat damnavit, abstinisset Muellerus, si hominem ingenue educatum quid deceret quaerere quam indulgere irae nescio cui maluisset. Nunc de lacunarum praestigio arcendo a veterum scriptis aut ad Plantinos certe libros reiciendo quae iactat, plus habent odii et cavillationis quam veritatis atque intellegentiae. Nempe legit Nonium homo; scit enim quosdam nuper non criticos perfectiores quam metricos fragmenta a Nonio servata numquam lecto emendare Nonio. Rodens autem secundum maxime versum negat quemquam ex Latinis puram ionici formam utroque eiusdem versus hemistichio adhibuisse. At satis erat adhibuisse Graecos, quos sectabantur Latini; atque omnino haec carminum galliambicorum paucitas, in qua plures singulari forma versus inveniuntur, si sufficiat ad rariora ab usitatoribus dignoscenda, eandem adparet non sufficere ad excludenda quae non ipsa ratione aut certe analogia excluduntur. Et qualis tamen est ille apud Atilium Fortunatianum galliambus p. 2678: *galli tergora versant timide semianimes*, citatus a Lachmanno praefat. Terent. Maur. p. XVI? Omitto enim Catulli versum 63, 54 pro puro ionico habitum ab Herimanno. Negat etiam posse demonstrari Varronem magis quam Catullum prioris partis resolvisse paenultima syllabam. Quasi vero de auctoris cuiusquam usu demonstrari aliquid ac definiri possit e sex versiculis, quarum dimidia pars est graviter corrupta. Resolvit autem Maecenas apud Atilium Fortunatianum p. 2677 hoc in versu; „ades et sonante *typano* quate flexibile caput.“ An negat Muellerus veram esse emendationem Santenii ad Terentian. Maur. p. 281 eandemque Naekii sched. crit. p. 23 (opusc. I p. 37) et Bothii poet. scen. Lat. V, 1, p. 273 *typano* pro *tympano* scribentium? Denique peccavit haud dubie Vahlenus quod scripsit rescripsitque *crepimu'*, cum deberet *crepinus*; sed solum Vahlenum id admisisse, ut in fine prioris hemistichii adhiberet brevem, id quidem ne creparet Muellerus prohiberi debuit iis quae adnotavit Santenius ad Terentian. Maur. p. 276. Quam facile autem sit labi in galliambis, ut omittam alia, documento esse potest huius ipsius Varronis versiculus e Marcipore (fr. 1) apud Nonium I, 223 p. 46, 12 sic traditus: *spatule eviravit omnes venerivaga pueros*. De quo si quem non piguerit ad ea quae scripta sunt a Meinekio Ztschr. f. d. Aw. 1845 col. 739, a Vahleno coniect. p. 19 et 176, a Lachmanno ind. lect. univ. Berol. aest. 1848 p. 3, adcuratius conferre ea quae fudit Muellerus p. 109; profecto is, quas erroris poenas a Vahleno Muellerus exegit, esse quidem in iis intelleget aliquas veritatis partes, at multo maiores iniquitatis ac maledicentiae, minores fortitudinis bonaque fidei, siquidem non est aequi iudicis, dum peccata ab aliquo damnat, quae idem eadem in re recte fecit pro nihilo ducere, non viri fortis, reverentem maiores minoribus insultare. Sed his ego pro Vahleno, meo non ita pridem adversario, nec tamen illius magis quam Muellerei causa dictis nolo meum videri persequi dolorem, qui cum sim ab hoc novo Latinae artis antistite in nonnullis merito reprobatus, in multis satis petulanter lacessitus, tantum abest ut eum sua in re ac praecipue in poetis Latinis naviter solerterque perlegendis egregie versatum esse infitior, ut eundem, dum quaesitam meritis sumere festinat superbiam praveque imitatur quae magnis quibusdam in viris feruntur magis quam laudantur, aegre patiar optima frugis librum inopportuno illo fastu et protervitate bonis artibus indigna contaminasse.

consentientibus editoribus) et anapaesti (Aeschyl. Edon. fr. 54 D. 56 N. 58 H. ap. Strab. X, 3, 16 p. 471). Invenitur praeterea apud Graecos in versibus dactylicis (Homer. hymn. 14 [13], 3. Apollon. Rh. Argon. I, 1139. Phalaec. epigr. 3, 5. Lucill. epigr. 42, 2 [Anth. Pal. VI, 165. XI, 160]. Oracul. ap. Euseb. praep. euang. V, 7, 5. Nonn. Dionys. XX, 4), nec causa latet; Latinos non inveni usos esse praeterquam in galliambis, ut Varronem hoc loco, Catullum 63, 8. 9, Maecenatem ap. Atil. Fortun. p. 2677, quibus in locis omnibus librarii *m* litteram addiderunt; apud dactylicos non sunt, quod sciam, nisi *tympana* casu primo et quarto. Deinde quod *inanis sonitus* scribi voluit Naekius codicis N. Fabri lectioni, quam eandem exhibent edd. Merc. et Gerl., insistens eumque secutus est Hermannus, Hermannum alii, sic dictum putavit Naekius *typana — sonitus* ut apud Catullum 64, 263 *cornua — bombos raucisonos*; tuebatur enim quod ibi scriptum est in libris: „multi raucisonos efflabant cornua bombos.“ Quo iam remoto receptaque ab omnibus Bern. Pisani eademque Scaligeri emendatione quae est *multis*, etiam magis patescit eius structurae vel ad poëticam syntaxin insolentia. Itaque misso illo *sonitus*, quod unde corruptum sit non ita difficile est ad perspicendum, recte fecit Lachmannus quod vetus illud atque verum *inani sonitu* adsentientibus omnibus, qui cognita eius emendatione de hoc loco scripserunt, restituit. Tum quod idem adstipulante codice Fabri pro *matris* scripsit *matrī*, dum id restituit quod unice numeri ferunt, sententiam quoque aperuit, ut iam manifestum sit, non ipsam Matrem sed aliud numen aliquod a gallis conpellari. Sed longe gravius secundo versui inflicto est vulnus et nescio an vix sanabile. Nam *tibinos* neque versum explet et, a tibiis si facta vox sit, numeris refragatur; habeat enim necesse est primam syllabam longam, molosso autem nisi in ipso initio hemistichii locus esse non potest. Unde adparet vitio laborare et Hermanni priorem Nobbiique emendationem et Oehlerii, quorum illi *modos* adiecerunt e lemmate Nonii non inepte, hic *sonitus* intellegi voluit: adparet vero etiam ipsum errasse in explicando vocabulo Nonium, ac fortasse ne Nonium quidem solum, sed etiam eum quem exscripsit, hominem minus gnarum legis galliambicae quam tiliarum in Matris Deum sacris adhiberi solitarum memorem. Nam omittere, ut fecit Hermannus, *tibinos* et hoc totum quiddid est apud Nonium turbarum interpolationis loco habere, tametsi interpolatorum libidine gravius affecta esse Nonii verba vix recte omnino negat Muellerus p. 37, vereor tamen ut satis liceat hac in parte, in qua iteratis prope eisdem verbis praetermittere nonnulla, quam distendere ac dilatare tradita additamentis aliquanto mihi videtur fuisse proclivius. Hinc est quod Scaliger scripsit *tibi nos*, scriptumque a Lachmanno certatim adprobaverunt Vahlenus, Ribbeckius, Muellerus; scripseramus etiam nondum cognita Lachmanni emendatione ego et Vahlenus in iis quae nunc reprobavimus. Accito autem quod est in lemmate *modos*, uti acciverant Popma et Hermannus priori in libro et Nobbius, iustum bonumque effecit Lachmannus, comprobantibus eisdem quos supra nominavi, galliambum, quo ego, licet aliquid scrupuli mihi residere non dissimulem, despero tamen a me inventum iri meliorem. Desidero autem in versu Lachmanniano primum commatum aequabilitatem. Etenim quum singula galliamborum hemistichia, quae commata veteres dicebant, ita comparata esse soleant, ut fere cum eis conveniant incisa vel membra orationis aut certe non renitantur, hoc in versu perincommodum accidit, ut *nos* pronomen ante ipsam diaeresin positum numerorum lege adseratur priori commati, oratione atque sententia trahatur in alterum. Deinde vocis *tibi* syllaba posterior, quam bis corripuit poëta, cum producere eandem haud dubie ei licuerit, hoc tamen loco, quasi praecipua quaedam eius vis sit, quae certe nec primo nec tertio in loco minor est, parum eleganter, qui meus quidem est sensus, effertur atque intenditur; neque mutatae repetitorum vocabulorum quantitatis exempla, quae congescit Muellerus p. 47 sq. e scenicis poetis nonnulla, e dactylicis satis multa, talia esse opinor, quae ad hunc locum tuendum ipse idonea esse velit. Ac priori quidem incommodo medicatus est aliquatenus Muellerus posita post *nos* virgula, quam ante eam vocem posuerat Lachmannus, nec tamen ut multum prosit ea medella. Posita enim

sic in fine commatis metrici eiusdemque grammatici vocula *nos* mirum in modum languet planeque, ut Graeci dicunt, *παρέλκει*, et omnino tota illa clausula *tibi nos* tam nullo est pondere, ut, si ita scripsisse poetam credendum sit, defecisse eum vires in numeris explendis videantur. Quod autem punctum posuit Muellereus post *semiviri* eaque voce versum pariter ac sententiam conclusit, non minus languida oratio est adeoque nova haec clausula *tibi nunc semiviri* redundat, ut toto in versu praeter ipsum initium *tonimus modos* iam nihil sit quo non multo commodius careas. Accedit quod minime sublata est ista ratio in illis *tibi nos* soni elatio illa significationis tenuitati, ut mihi quidem videri dixi, contraria. Manet igitur ἀπορία loci, quam is demum solvisse meo iudicio censebitur, qui sic pariter cum numeris consuluerit sententiae, ut pro levibus istis ac ieiunis sit aliquid repertum, quod vim quamdam gravitatemque habeat vel quo certe notio aliqua nova inferatur.

Atque hic non praetermittendus mihi est Isaacus Vossius, qui ad Catull. 64, 263 adnotavit p. 227, quod Tibia olim dicta sit Phrygia et Tibii iidem qui Phryges, inde Tibios seu Tibinos modos pro Phrygiis et Tibinos sonitus esse apud Nonium ex Varrone;

— sonitus matris deum tonimus

Tibinos tibi nunc semiviri — .

Omitto lectionem, quae est secundi loci Noniani, non emendatam ac pro versibus exhibita versuum monstra; sed de nomine quae dixit, auctores sunt Suidas: *Τίβια ὅλη ἡ Φρυγία καλεῖται*. Stephanus Byzantius: *Τίβιον* (seu potius *Τίβειον*), *τόπος Φρυγίας, ἀπὸ Τίβιον τινος. ἐκ τούτου καὶ Τίβιονς τοὺς δούλους καλοῦσι*. Proverb. Vatic. II, 71 = Bodl. 647 = Append. III, 79 ed. Gotting.: *Μαίς καὶ Θίμβις ὀνόματα Φρυγικά τὸν δὲ Θίμβιν ὁ Μένανδρος συνεχῶς Τίβιον ὀνομάζει καὶ ὅλη ἡ Φρυγία Τίβια καλεῖται*. Photius lex. p. 587, 17: *Τίβιοι ἔθνος. Λεύκων ἐν Φράττερον. τάχα δὲ οἱ αὐτοὶ τοῖς Τιβαρηνοῖς*. Strabo VII, 3, 12 p. 304: *ἐξ ὧν γὰρ ἐκομίζετο (τὰ ἀνδράποδα), ἢ τοῖς ἔθνεσιν ἐκείνοις ὁμωνύμους ἐκάλουν τοὺς οἰκέτας, ὡς Λυδὸν καὶ Σύρον, ἢ τοῖς ἐπιπολάζουσιν ἐκεῖ ὀνόμασι προσηγόρευον, ὡς Μάνην ἢ Μίδα τὸν Φρύγα, Τίβιον δὲ τὸν Παφλαγόνα*. Ab eodem XII, 3, 25 p. 553 inter nomina Paphlagonica apud Cappadoces usitata Tibius refertur, et in propinquis ipsius quidam commemoratur Tibius nomine §. 33 p. 557. Servile nomen Tibius frequentatur a Luciano, ut Tim. 22. merc. conduct. 25. saltat. 29. gall. 29. Philopseud. 30, vereque, ut puto, redditum est Theophrasto char. 9 (16). Quae quum ita sint, non indignum videri potest ingenio atque doctrina Varronis, si quis eum suspicetur Tibinos adpellasse modos Phrygios, Phrygios autem ut Ovidius fast. III, 214. Ib. 456. Martialis XI, 84, 4, Phrygium numerum Lucretius II, 620, Phrygis insanos numeros Propertius III, 22, 16, Phrygios cantus Cicero divin. I, 50, 114, Phrygium sonum Tibullus II, 1, 86, Phrygem tibicinem Catullus 63, 22, Phrygium cornum ipse fr. 37, ad quod alia adponam exempla; modos Phrygios vero intellegi voluisse non tibiaram cantum, ut videtur putasse Vossius, quippe inventarum a Phrygibus, sed ipsos galliambos, de quibus Terentianus Maurus 2890 sq.

nomenque galliambis memoratur hinc datum,

tremulos quod esse gallis habiles putant modos.

Ac de primae syllabae quantitate quaerentibus duo occurrunt Menandri versus, alter ex Thessala ap. Ioh. Stob. floril. 62, 31, alter ex Misogyne ap. Priscian. inst. gramm. XVIII, 31, 305 p. 1213 P., quorum priorem sic restituit Bentleius emend. p. 32: *εὐθυμία τοι Τίβιε τὸν βίον τρέφει*, alterum Bergkii de reliq. com. Att. p. 107 sic: *ἀλλ' οὐ τὰ Τίβιον νῶν ἴσως δεῖ φροντίσαι*: scriptum autem est apud Stobaeum *εὐθυμία βίε*, apud Priscianum *ἀλλ' οὐ τὰ βίον*, pro quo Bentleius p. 44 legendum coniecerat *ἀλλ' οὐ τὰ βιότου*. Ac *Τίβιε* priori loco quum probasset Meinekii Menandr. et Philem. reliq. p. 77, idem postea frgm. com. Graec. II p. 750 adlato versu sive Metrodori sive incerti auctoris problematum arithmeti-
corum 17, 11 (Anthol. Palat. XIV, 123)

πενήκοντα Σύρος, Συνέτη δύο, Τίβιος ὀκτώ, quod prima nominis syllaba eo in versu producitur, non modo Bergkii damnavit coniecturam et III p. 167 ἀλλ' οὐδὲ τὰ βίον vel ἀλλ' οὐχὶ τὰ βίον legendum censuit, sed etiam III p. 133 Bentleyanum τοὶ Τίβιε mutavit suo βέλισιε. Neque tamen fortasse in nomine barbaro adeo multum auctoritatis aut aliqua Menandri lectio tribuenda est epigrammatario haud nimis vetusto, ut videtur, cum aut idem aut certe eiusdem generis poeta epigr. 31, 4 (A. P. XIII, 138) talem versum dederit: εἰκοσὸν Θεᾶνοῦ καὶ πάλι δωδέκατον, cuius nominis mensuram si non ab Empedocle et aliis, ab ipso tamen Homero novisse poterat. Qui si tenoris vi duci se passus est ad corripendam vocalem ancipitem, — dico autem ancipites α, ι, υ, — idem eadem de causa evenire alteri poterat in producenda. Adde quod scriptum est non Τίβιος sed Τίμιος, atque licet vera sit emendatio pariter atque in Theophrasti loco Τίβιε pro τίμιε, psa litterarum μ et β non modo in scriptura sed etiam in ipsa pronuntiatione permutatio ¹⁾ aliquod certe poterat habere momentum in quantitatis incertae arbitrio. Mitto quae in nominibus vel exteris vel vetustate obscuratis poetarumve usu minus frequentatis nonnumquam deprehenditur mensurae inconstantia; atque, ne hoc totum in meris versetur suspitiunculis, si verum est quod illi tradunt de Phrygiae nomine Tibia et de Tibio nomine Paphlagonico, satis mihi quidem videtur esse credibile, ne Tibarenorum quidem, Ponticae gentis, nomen non fuisse cum illis aliqua cognatione coniunctum eoque aliquid veritatis inesse in illo Photii τάχα δὲ οἱ αὐτοὶ τοῖς Τιβαρηνοῖς: cognata etiam fuisse Tiboetae, hominis Bithyni, et Tibisis Thraciae ac Tibisci Daciae fluviorum nomina (Polyb. III, 50: Herodot. III, 49: Ptolem. geogr. III, 8: et de Tibri Galatiae fluvio interpp. Ammian. Marcellin. XXII, 8, 17). Qua de re si non desperandum est fore ut adsentiantur gentium linguarumque Aricarum exploratores, cum Tibareni apud poetas numquam non adpellentur principe syllaba correpta (Scymn. perieg. 915. Apollon. Rhod. Argonaut. II, 1010. Dionys. perieg. 767. Orph. Argon. 744. Valer. Flacc. Arg. V, 148. Avien. descr. orb. 947. Priscian. perieg. 743), pariterque Tibisena ostia (Valer. Flacc. VI, 50), non prorsus de nihilo id nobis videtur sumere, ut Tibios quoque Phrygas indeque dictos Tibinos modos eadem primae syllabae quantitate adpellari potuisse arbitremur. Varronis igitur versus duos priores sic iam, salvo tamen ut aiunt meliori, constituo:

tibi typana non inani sonitu matris deum,

tonimus modos Tibinos tibi nunc semiviri.

Verbum *tonimus*, semel dictum bis audiendum, ipso loco suo pariter ad superius membrum atque ad id quod sequitur pertinet, ut ante an post illud interpungatur, nihil fere intersit; quamobrem, quod huic poësis generi convenire puto, in singulos versus orationis membra dispertivi. Iterare autem cum Oehlero verbum cur noluerim, damnato *sonitus*, recepto *modos* patet.

Non minus difficilis de tertio versu quaestio est, cuius altera pars ex numeris laborat manifestissime. In quo emendando qui ante Lachmannum metro galliambico satisfecerant, minus prospere rem gessisse non est quod pluribus exponam. Nam aut verba erant ab iis licentius habita, ut a Scaligero, aut, si qui nihil mutatis relicuis unam vocem *galli* interpolatori tribuerunt qui *semiviri* explicaret, ut Nobbius et Vahlenus,²⁾ non erat ab iis intellectum, non compellari a canentibus Matrem Deum sed, quod primus vidit Lachmannus, Attin. Cfr. Lucian. tragodopodagr. 30 sqq. ἀνὰ Ἀνδρμον Κυβήβης Φρύγες ἐνθεον ὀλολυγῆν ἀπαλῶ τελοῦσιν Ἄττη. Verum ne ab ipso quidem quod scriptum est Lachmanno *iactamu' galluli* pro *iactant tibi galli* vereor ut merito non consentientem nactus sit Muellerum eas ob causas, quas supra indicavi. Nam et

¹⁾ Cfr. lexic. Passov. ed. V. v. M 1 b. Lobeck. pathol. prolegg. p. 171. Accedunt Βημισίχη Athen. XIII p. 576 f. 596 e. Βημισίχη Pausan. V, 8, 11. Μεμισίχη Aristoph. Eccles. 46; Βελεμίνα Pausan. III, 21, 3. VIII, 53, 3. Βέλβωα Stephan. Byz. s. v.; Βύβασσος, Βύβαστος, Μούμαστος Steph. Byz. s. vv. Diodor. V, 62; κάμβαλε pro κάββαλε apud Homerum; τιβάθων pro τί μαθών apud Hesychium. Latine *tames* *tabes* gloss. Hildebr. p. 281. Add. Varr. rust. II, 1, 7. Schneider Formenl. p. 229 sq.

²⁾ Gallos pro spadonibus dixerunt Iosephus antiq. III, 8, 40, Artemidorus onirocr. II, 49, Laërtius Diogenes III, 43.

mu paullo longius recedit a *nttibi* in vocibus minime obscuris sententiaque aperta, et *galluli* deminutive dicti, quamvis saepe eiusmodi vocabula in libris obliterata esse constet, ad orationis colorem parum conveniunt. Nec tamen ideo Muelleri probaverim verborum traiectionem, qua *teretem* in exitu versus conlocatum est ineleganter; nam, ut effugiat ille praescriptionem Buecheleri (M. R. n. XIII p. 428), tereti comae volentem subiici par erat, volanti teretem supervacaneum, et tantum ea conlocatione verbo accedit ponderis, quantum ipsa sententia non patitur. Sed, quod iam dixi aliquotiens, facilius reprehenduntur scripta ab aliis quam scribuntur non reprehendenda. Itaque quaerenti quid ego reponi velim, quod praestet virorum sagacissimorum coniecturis, non sine verecundiae praefatione responderim, videri mihi aliquod quo versus expleretur intercidisse inter *iactant* et *tibi* vocabulum trochaei vel iambi vel tribrachi mensuram aequans, *galli* autem fuisse in quarti versus initio positum. Iam illud vocabulum, cum ad sententiam nihil desit, probabile est fuisse aut interiectionem aut vocativum; intuentibus autem in eorum, inter quae periisse videtur, verborum exitum initiumque sic scriptorum *iactāt tibi* nescio an aliis idem quod mihi eventurum sit, cui tam perspicue emersit vocativus *Atti*, prope ut mirarer eum nondum cuiquam adparuisse, ipsique coniecturae propter facilitatem suam paene diffiderem, qua tamen, nisi mei me nunc inventi amor fallit, haud cito reperiam magis commendabilem. Sic igitur hanc fragmenti partem legendam existimo:

*teretem comam volentem iactant [Atti] tibi
galli*

Ex prima persona (*tonimus*) in tertiam (*iactant*) migrandi quae causa poetae fuerit, aegre dicam; non est tamen praeter poetae morem id factum nec praeter linguae Latinae ingenium. Consueverunt enim Latini tertia persona uti pro prima oratorie et cum adfectu quodam et concitatione animi dignitatem loquentis praefidentes, ut in celeberrimo illo naumachiariorum „ave, imperator, morituri te salutant“ (Sueton. Claud. 21), quod erat Graece *χαῖρε, ἀπόκρατορ, οἱ ἀπολούμενοι σε ἀσπάζόμεθα* (Cass. Dio LX, 33). Cfr. Verg. Aen. I, 48. Ovid. met. II, 518. III, 144. XIII, 17, et passim talia occurrunt.

Venio ad fr. 37. Versum esse galliambicum ne Popmam quidem fugit. Qui quod in ed. 1601 scripsit *Phrygios perosa*, quum a. 1589 edidisset *Phrygius per ossa*, non aliam eius rei rationem reddidit, quam quod in altera editione, quam expresserunt editores Durdrechtanus et Bipontinus, omisit illud de cornibus gallorum in priore scriptum „quae ex bubulo cornu fuisse, non ex aere indicat Varro hic.“ Nec operae pretium est inquirere altius in sententiam haud dubie ineptam. Illud unum fortasse quaerendum est *Phrygiosne* scripserit Varro an *Phrygius*, quorum utrumque singulis Nonii locis commendatur; nam *f* littera pro graeca *φ* posita posteriorum saeculorum est. Placuit Graecus exitus Vahleno et Ribbeckio; quorum prior coniect. p. 19 antestatur Ritschelium in Mus. Rhen. nov. VIII p. 17 parum docte. Neque enim secundae declinationis adiectiva Graece exeunt nisi aut metri causa aut ubi sunt pro substantivis;¹⁾ neque incredibile est in vicini nominis *ossa* priore syllaba erroris ansam fuisse. Bene igitur se habet vulgaris lectio:

Phrygius per ossa cornus liquida canit anima

¹⁾ Eo pertinet locus Varronis e Quinquefr. fr. 4 ap. Non. III p. 68 p. 260, 18:

. . . . qui Tarentinum tuum
ad Héraclidem Pónticon conténderet,

altero *con* in libris omisso. Item e Cycno *περὶ ταφῆς* fr. 4 ap. Non. III, 243 p. 230, 25:

. quare Héraclidés [puto,]
Pónticos plus sápl[ē]it, qui praecép[er]it ut combúrerent,
quám Democritus, qui ut in melle sérvarent, quem sí [ducem]
vúlgu' secutus ésset, peream sí centum denáris
cálicem mulsí emére possimus ;

De tympanis Matris Deum satis dictum est ad fr. 35. — Inanis sonitus qui sit habes apud Ciceronem de orat. I, 12, 51: „quid est enim tam furiosum quam verborum vel optimorum atque ornatissimorum sonitus inanis nulla subiecta sententia?“ Videntur igitur significare galli se, dum inania, ut ait Ovidius fast. III, 183, tympana tundunt, — inania autem etiam contemptim dicuntur Ovid. metam. III, 537, cava simpliciter XII, 481, ut Catull. 63, 10 (cfr. Auson. ecl. 16, 12) — non merum strepitum edere, sed rem facere ad ipsius numinis *ἰερὸν λόγον*, qui dicebatur, pertinentem et aliquam ad illud movendum vim habentem. Lachmannus propter fr. 39 his ipsis versibus Attin ex ara excantari iudicavit. — *Tonimus* verbum dupliciter est nove vel inusitate dictum. Ad tertiam coniugationem flexum exempla sui similia habet *sonere*, *crepere*, *lavere*, cfr. Eutyech. de discern. coniug. II, 19 p. 2188. Struv. lat. Decl. u. Conj. p. 184. 187; ipsum praeter hunc locum non videtur inveniri.¹⁾ Deinde non accusativus quidem casus tonandi verbo subiectus insolitus est; ait Vergilius „sacerdos ter centum tonat ore deos“ Aen. III, 510, Claudianus „tonuerunt omina nimbi“ in Prob. et Olybr. cons. 208, aliaque eiusmodi exempla conpluria ab interpretibus et lexicographis adferuntur; insolitum est ipsum verbum caussativum, cui non habeo quod conferam praeter Valer. Flacc. III, 169 „clavam que superne intonat“ et Horat. epod. 2, 51 „eois intonata fluctibus hiems.“ — Teretem comam eam dixisse videtur quam Euripides Bacch. 831 *κόμην ταναόν* vel v. 455 *πλόκαμον ταναόν*, muliebrem describens hominis bacchantis ipsiusque Bacchi habitum, qui idem gallis convenit. Est autem non modo capillus qui prolixa serie porrectus dorsa permanat, ut verbis utar Apuleii metam. II, 9, sed crines ingenio suo flexi per totos sese humeros effundentes, ut matronae cuiusdam libidinosae apud Petronium c. 126, vel quem dicit Nonnus Dionys. XXXVI, 8 *ἄπλοκον ὑποθεν ὤμων μηκεδανῆς κεχλασμένον ὄλκον ἐθείρης*. „Teres enim aliquid rotundum est cum proceritate, ut columna“ Isidorus scribit orig. XV, 2, 19; „teres est in longitudine rotundatum, quales asseres natura ministrat“ Festus p. 363 M. Quibus translatis sequi videtur comam gallorum multis longisque cincinnorum flexibus intortam passim per humeros dorsumque fluitasse. Consentitque Apuleius metam. VIII, 24, apud quem est senex quidam deae Syriae i. e. Magnae

quibus in versibus *puto* et *ducem* ad explendos numeros exempli dumtaxat gratia adscripta sunt, infinitivi autem III coniug. paroxytonesis est quidem e rarioribus illa, nec tamen aut apud posteriores poetas inaudita aut apud antiquiores in tertio septenarii pede intolerabilior quam *amabilis*, *pedibus*, *partibus* ac similia, de quibus alio loco dixi. Sic idem *ταφῆς Μενίππου* fr. 17 ap. Non. I, 238 p. 48, 25:

... .. in pavimentó [tuo]
nón audes facére lacunam, at in humu calceós facís
ἔλιξος

quamquam ibi proclive est traiectis verbis scribere *lacinam facere*. (De adiecto *tuo* cfr. Pompon. Aedit. fr. 1.) Ac fortasse etiam in logistorico Cato vel de liberis educandis ap. Non. III, 319 p. 352, 26:

... .. *út qui contra celeré erant nati, fere*
Númerios praenómínabant, quód qui facturim, cito
quid sese ostendére volebat, dicebat numero id fore;
quód etiam in partú precabantúr Numeriam, quám deam
[ás]solent indigetare etiam póntifices

ubi v. 1 est in libris *celeriter*, v. 2 *cito facturum*, v. 3 *quis sine*, edd. *quid se*, malim *se quid*, v. 5 *solent*; reliquae emendationes aliis debentur. Addo etiam *Agamemníona* in paenultimo senarii pede ex Virgula divina fr. 10 ap. Porphy. ad Horat. sat. I, 8, 48 ludibrii causa *παροξυτονούμενον*, de quo dixi partic. II p. 12 n. 1; traiectis enim inter se verbis mutatisque in trochaeos senariis Muellerus p. 418 neque sustulit paroxytonesis aut in locum magis legitimum transtulit, neque versus meliores effecit.

¹⁾ Apud Petronium 2, 4 quod in quibusdam codd. *tonere* pro *canere* legi dicitur, non contemnendum quidem videtur esse ad verum inveniendum, ipsum tamen veri numeros non inplet.

Matris sacerdos „calvus quidem sed cincinnis semicanis et pendulis capillatus.“¹⁾ Hinc ab Erycio Cyziceno epigr. 2 (A. P. VI, 234) gallus dicitur *χαιταίεις*, cui tribuit *μυρόεντα βόστρυχον*: est apud Rhianum epigr. 8 (A. P. VI, 173) *Αρχυλίσ*, seu potius *Ἀρχυλίσ* vel *Ἀρχυλίσ*, ἢ *Φρυγίη Θαλαμηπόλος* *τοὺς ἱεροὺς χεναμένη πλοκάμους*, et apud Saturium Thyillum epigr. 7 (A. P. VII, 223) ἢ *κροτάλοις ὀρχηστῆρις Ἀρίστιον*, ἢ *περὶ πεύκαις καὶ Κυβέλλῃ πλοκάμους ὄψαι ἐπισταμένη*. Volantem dixit per prolepsin poëtis usitatissimam. Iactari caput quum aliis in religionibus orgiasticis tum in Cybeles atque Attidis cultu solitum fuisse satis constat. Itaque paucis exemplis defungar. Philipp. Thess. epigr. 6 de gallo *ἀνχένα στροβιλίσας*. Catull. 62, 20, 23: „Phrygiam ad domum Cybebes, Phrygiae ad nemore deae, — — ubi capita maenades vi iaciunt hederigerae“, nam „ego maenas“ ipsum de se Attin dicentem facit v. 69. Dioscorid. epigr. 11 (A. P. VI, 220) *ἐκφρων μαινομένην δούς ἀνέμοισι κόμην ἀγνός Ἄτις Κυβέλλης Θαλαμηπόλος*. Lucan. Phars. I, 566 „crinemque rotantes galli.“ Stat. Theb. X, 173 „sanguineosque rotat crines“ Phryx matris Idaeae. Antip. Sidon. epigr. 27 (A. P. VI, 219) de gallo v. 2 *ῥομβητοὺς δονέων λυσομοανεῖς πλοκάμους* et v. 18 *ἐδίνησεν δ' ἐδστροφάλιγγα κόμαν*. Epigr. adesp. 174 (A. P. VI, 51) Rheae ponit Alexis *ξανθὰς τὰς πρὶν ἔσεισε κόμας*. Apul. metam. VIII, 27 „crinesque pendulos in circulum rotantes.“

Nominativi qui est *cornus* masculine dictus praeter hunc locum et Cicer. nat. deor. II, 59, 149 aliud est certum, licet non valde antiquum, exemplum epithalamii quod dicitur Laurentii et Mariae v. 61 „cymbala, bambalium, *cornus* et fistula, sistrum“ (Wernsdorf. poët. Lat. min. III p. 496. Anthol. Lat. 1143 M.), ubi *us* finalis producta eo ex genere est de quo dixit Luc. Muellerus metr. Lat. p. 333. Phrygius autem dictus est *cornus* ut Berecyntium cornu Horat. carm. I, 18, 13, Berecyntia tibia Ovid. fast. III, 181. metam. XI, 16, Phrygium buxum Ovid. ex Pont. I, 1, 45, buxus Berecyntia Vergil. Aen. VIII, 619, Idaea buxus Valer. Flacc. Arg. I, 319, Celaenea buxus Stat. Theb. II, 666, tibicen Phryx Catull. 63, 22 (cfr. ad fr. 36 p. 18).²⁾ Quippe non modo multus erat tibiarum in sacris Magnae Matris usus, sed etiam inventionem earum erant qui Phrygibus tribuerent, ut Telestes ap. Athen. dipnosoph. XIII p. 617 b. 626 a. Iuba ap. eumd. III p. 177 a. Alexander ap. Plutarch. de mus. 5. Plinius n. h. VII, 56. Clemens Alexandrinus strom. I p. 306 d. Pollux onom. III, 74 sq. Apulcius florid I, 3. Himerius ecl. 13, 3 p. 210 alii. Athenaeus XIII p. 624 b. *τάντην δὲ τὴν ἀρμονίαν (τὴν Φρυγιστὴν) Φρύγες πρῶτοι εἶδον καὶ μετεχειρίσαντο. διὸ καὶ τοὺς παρὰ τοῖς Ἑλλησιν ἀλλήτας Φρυγίους καὶ δουλοπρεπεῖς τὰς προσηγορίας ἔχουν· οἷός ἐστιν ὁ παρ' Ἀλκμάων Σάμβας καὶ Ἄδων καὶ Τῆλος, παρὰ δὲ Ἰππώνακτι Κίων καὶ Κώδαλος καὶ Βάβυς.*³⁾ Iam propter Catulli versus 64, 263 sq. „multis raucisonos efflabant cornua bombos barbaraque horribili stridebat tibia cantu“ illumque qui est apud Persium I, 99 „torva Mimalloneis inplerunt cornua bombis“ videtur dubitari posse quam recte Phrygium cornum interpretatum eamus esse tibiam. Sed commode offeruntur loci Athenaei III p. 185 a. *ἐν δὲ τῷ δευτέρῳ Φοίνικι ὁ αὐτὸς Ἴων φησιν Ἐκτενον ἄγων βαρὴν ἀλλὸν τρέχοντι ἔνθμῳ, οὕτω λέγων τῷ Φρυγίῳ· βαρὸς γὰρ οὗτος· παρ' ὃ καὶ τὸ κέρας αὐτῷ προσάπτουσιν ἀναλογοῦν τῷ τῶν σαλπίγγων κώδωνι*: Pollucis onom. III, 74 *ἔλυμος τὴν μὲν ὕλην πύξινος, τὸ δὲ εὖρημα Φρυγῶν· κέρας δ' ἐκατέρῳ τῶν ἀλλῶν ἀνανεῖον πρόσσεστιν, ἀλλεῖ δὲ τῇ Φρυγίᾳ θεῶ*: Hesychii *ἐγκεραύλης ὁ τοῖς Φρυγίοις ἀλλῶν ἔχει γὰρ ὁ ἀριστερός προσκείμενον κέρας. ἐγκεραυλῆσαι τὸ αὐτό. προσκείμενον γὰρ κέρατος τῷ ἀλλῷ ἦδον, ὅθεν καὶ ὁ ἐγκεραύλης*. Itaque Ovidius metam. III, 533 et III, 392 „adunco tibia cornu“, XI, 16

¹⁾ Gallos quosdam Matris Deum saltantes cymbalaeque ac tympana pulsantes musivo antiquitus pictos et in Museo Borbonico III, 34 repraesentatos Od. Muellerus (Archäol. d. K. 425, 1) Sinensium similes esse ait; quod quomodo ad teretem comam conveniat ignoro.

²⁾ Barbaricum buxum Vergil. Cir. 165, barbara buxus Valer. Fl. III, 231 barbara tibia Catull. 64, 264.

³⁾ Eodem pertinet fabula de tibiis, quas a Minerva inventas abiectasque sustulisse vel Marsyas vel Midas dicebatur. Sed inventionem alii aliis tribuebant; cfr. Spanhem. ad Callim. hymn. 3, 245. Hildebrand ad Apul. flor. I, 3.

„inflato Berecynthia tibia cornu“, fast. III, 181 „inflexo Berecynthia tibia cornu“, ex Pont. I, 1, 39, „ante Deum Matrem cornu tibicen adunco“, Tibull. II, 1, 86 „Phrygio tibia curva sono“, Catull. 63, 22 „tibicen ubi canit Phryx curvo grave calamo“, Vergil. Aen. XI, 737 „curva choros indixit tibia Bacchi“, Iuvenal. II, 90 „nullo gemit hic tibicina cornu“; Philipp. Thessalon. epigr. 6 διδύμους τε λωτοὺς κερσόβας. Epigr. adesp. 174 βαρυφθόγγων τ' ἀλαλητὸν ἀλλῶν οὐς μόσχου λοξὸν ἔκαμψε κέρας. Cuiusmodi tibiae imago extat in vetere ectypo Cybeles sive, ut alii volunt, archigalli ap. Winkelmann. monum. ant. ined. I, 2, 1 nr. 8, lituo Romano fere similis; cfr. Salmas. Plin. exercit. p. 123 ed. 1629. Hinc Lucianus tragodopodagr. 30 sqq.: ἀνὰ Λίνδνυμον Κυβήβης Φρύγες ἐνθεον ὀλολυγὴν ἀπαλῶ τελοῦσιν Ἄτιη καὶ πρὸς μέλος κεραύλου Φρυγίου καὶ ὄρεα Τρωίλου κῶμον βοῶσι Λυδοί: dialog. deor. 12, 1 ἢ μὲν (Ρεά) ὀλολύζονσα ἐπὶ τῷ Ἄτιη, οἱ Κορύβαντες δὲ ὁ μὲν ὁ δὲ ἀνεῖς τὴν κόμην ἵεται μεμηνῶς διὰ τῶν ὄρων, ὁ δὲ ἀυλεῖ τῷ κέρατι, ὁ δὲ ἐπιβομβεῖ τῷ τυμπάνῳ ἢ ἐπικτυπεῖ τῷ κυμβάλῳ κτέ. Apulei. metam. VIII, 26 „erat quidam iuvenis . . choraula doctissimus . . . qui foris quidem circumgestantibus deam cornu canens adambulabat“, ubi „ceraula“ legendum videtur, ut de deo Socr. 14 „cymbalarum et tympanistarum et ceraularum“ pro „choraularum.“ Pollux III, 71 ὁ δὲ τοῖς ἀλλοῖς χρωμένους ἀλλήτης καὶ κεραύλης κατὰ τὸν Ἀρχιλόχον κτέ. Telestes ap. Athen. XIII p. 637 ἄλλος δ' ἄλλαν κλαγγὰν ἰεῖς κερατόφωνον ἐρέθιζε μάγαδιν ἐν πενταράβῳ χορδᾶν ἀριθμῷ χεῖρα καμψιδιανλον ἀναστρωφῶν τάχος, utramque fortasse coniungens magadis significationem, quod eodem nomine et citharae genus quoddam adpellabatur et tibiae, cuius esset eiusdem sonus acutus et gravis, ¹⁾ Athen. III p. 184 d. XIII p. 634 c. sqq. Cfr. Xenoph. anab. VII, 3, 32. Quam rem ita explicuit Boeckhiius metr. Pind. p. 262, magadin non unum sed duo minime habuisse diapason, quorum chordae respondententes sibi concinerent hac ipsa symphonia, et p. 264 fuisse eodem nomine genus tibiae, quod acutos una sonos haberet iisque antiphonos graves, quales essent Latinorum Phrygiae impares sinistrae. Varro apud Servium ad illud Vergilii „biforem dat tibia cantum“ (Aen. VIII, 618): „Tibia Phrygia dextra unum foramen habet, sinistra duo, quorum unum acutum sonum habet, alterum gravem.“ ²⁾ Apuleius florid. I, 3: „primus (Hyagnis) duas tibias uno spiritu animavit, primus laevis et dexteris foraminibus acuto tinnitu et gravi bombo concentum miscuit.“ Utcunque est, — neque enim ipsas tibiaram antiquitates scribimus, — eam hi ipsi loci vim videntur habere, ut poëtarum in earum sonis adpellitandis inconstantiae quae praeter ipsorum arbitrium in eius organi natura posita fuerit causa non lateat. Nec mire igitur, cum murmur sit inflati buxi apud Ovidium met. XIII, 537 et apud Senecam Agam. 689 turbae Phrygium Attin lugentis sint

¹⁾ Habet haec interpretatio nonnihil offensionis; ac nisi post μάγαδιν intercidit ἡ particula, πεντάραβος χορδᾶν ἀριθμὸς organi mensuram videtur indicare, ut apud Vitruvium X, 8 (13), 2 organi hydraulici est canon vel tetrachordos vel hexachordos vel octachordos; an expeditius Bippartus (Philoxen. Timoth. Telest. reliq. p. 97) rem explicuit, κερατόφωνον magadin adpellari, quod cornu fabricari soleret?

²⁾ Acron ad Horat. epist. II, 3, 203: „Varro ait in tertio Disciplinarum et ad Marcellum de lingua Latina quattuor foraminum fuisse tibias apud antiquos et se ipsum ait in templo Marsyae vidisse tibias quattuor foraminum. Quare quaterna tantum foramina antiquae tibiae habuerunt, alii dicunt non plus quam tria.“ De eo loco cfr. quae disputavit Ritscheliuss in Quaestionibus Varronianis de libris Disciplinarum p. 20 sq. Nec ego negaverim posse libri Varroniani numerum vitio laborare; quem tamen ita malim tueri, ut primum librum scripsisse Varro putetur de arithmetica, secundum de geometria, tertium de musica, quartum de astrologia, quintum de grammatica, sextum de dialectica, septimum de rhetorica, antecedente trivium quadrivio, hosque excepisse octavus et nonus de medicina et architectura. Certe quae a Gellio X, 1, 6 Nonioque V, 50 p. 435, 9 quinto ex libro adferuntur non necesse est ei potius tribui libro qui de arithmetica fuit quam qui de grammatica. Atque cum disciplinae sint proprie τὰ μαθήματα, non absurdum erat primum locum dari disciplinis mathematicis. Quarum de ordine nonnulla sunt a me dicta ad Hippolyti philosophumena in Philologo VII p. 520 et 538 sqq., quibus adde locos Ciceronis de finib. I, 21, 72, Alcinoi isag. in Platon. dogm. 7. Prolegom. philos. Porphy. in schol. Aristot. p. 8 b 38 ed. Brandis., David proleg. philos. ibid. p. 15 b 33.

pectora rauco concita buxo et apud Catullum tibicen Phryx grave canat curvo calamo, et quae sunt eiusmodi alia, Varro Phrygium cornum fecit liquida anima canentem.¹⁾ Quid quod Propertius non modo tibiam raucam dixit III, 11, 23, sed III, 17, 36 etiam cymbala, quae plerique tinnula faciunt? Itaque ne apud Persium quidem inpleta Mimalloneis bombis cornua Bassaridum a Phrygiis tibiis diversa putem nec apud Horatium Berecynthium cornu; nec fortasse apud Catullum raucisoni cornuum bombi sunt ab horribili barbarae tibiae stridore diversiores quam apud Arnobium adv. nat. VII, 32 aeris tinnitus a quassationibus cymbalorum. — *Per ossa* quod Phrygium cornum canere liquida anima Varro ait, possit aliquis recordari illud Vergilianum Aen. VI, 54 sq.: „gelidus Teucris per dura cucurrit ossa tremor“ vel II, 121 sq.: „gelidusque per ima cucurrit ossa tremor“ vel III, 101 „traxitque per ossa furorem“ et quae sunt similiter dicta vel ab eodem poëta georg. III, 258. Aen. V, 172 vel ab Ovidio seu quisquis est heroid. 3, 82: sed haud paullo probabilius arbitror adferri locos Pollucis onomast. III, 71 ἢ δὲ ἔλη τῶν ἀνλῶν κάλαμος ἢ χαλκὸς ἢ λωτὸς ἢ πύξος ἢ κέρας ἢ ὀστοῦν ἐλάφου ἢ δάφνης τῆς χαμαιζήλου κλάδος τὴν ἐντεριώνην ἀφηρημένος: Pliniique nat. hist. XVI, 36 de tibiis disserentis „nunc sacrificae Tuscorum e buxo, ludicrae vero loto ossibusque asininis et argento fiunt;“ atque Plutarchi, si Plutarchus est, conviv. sept. sapient. 5 ὁ δὲ Αἰσωπος, εἶγε, εἶπεν, εἰδείης, ὃ ξένε, τοὺς νῦν ἀλλοποιοὺς ὡς προέμενοι τὰ νεβρεῖα (ὄσιᾶ) χρώμενοι τοῖς ὄνειοις βέλιον ἢ χεῖν λέγουσιν. διὸ καὶ Κλεόβουλον ἢ πρὸς τὸν Φρύγιον ἀνλὸν νεβρόγονος κνήμη κερασφόρον οὐδας ἤξε θανατᾶζειν ἕκασι κρούσεως· ὥστε θανατᾶζειν τὸν ὄνον, εἰ παχύτατος καὶ ἀμονσότατος ὢν τᾶλλα λεπτότατον καὶ μουσικώτατον ὄσιᾶν παρέχεται κτέ.²⁾ add. Aristoph. Acharn. 863 c. schol. Callimach. hymn. 3, 244. Athen. dipn. III p. 182 d. Philostrat. vit. Apollon. V, 8. Poll. III, 76. Hygin. fab. 165. Spanhem. ad Callim. l. l. Winckelmann. Gesch. d. Kunst d. Alterth. VII, 3, 23 tom. V p. 178 ed. Meyer et Schulze. — *Liquidam* animam dixisse videtur ut liquidam vocem Lucretius II, 146, V, 1378, Vergilius georg. I, 410, Horatius carm. I, 24, 3, liquidum canere Ovidius amor. I, 13, 8 et Calpurnius ecl. 4, 150, „citharae liquidum carmen“ Lucretius III, 981, vel ut idem III, 542 sqq. „nec simili penetrant auris primordia forma, cum tuba depresso graviter sub murmure mugit et reboat raucum regio cita barbarata bombum, et cyeni tortis convallibus ex Heliconis cum liquidam tollunt lugubri voce querellam.“ Hostii enim ap. Macrob. saturn. VI, 3, 6 nolim in eadem sententiam interpretari „voces liquatas“, quae est „ferrea vox“ Vergilii georg. II, 44 et Aen. VI, 626, φωνὴ ἄρρηκτος Homeri II, B, 490. De *anima* cfr. Vitruv. X, 8 (13), 4 et Varr. Andabat. fr. 9 ap. Non. III, 16 p. 241, 26.³⁾

Quod superest, hi versus, sint licet a Varrone ludibrii causa ficti, fidem non faciunt Servio ad Vergil. georg. II, 394 scribenti: „Hymni Libero apud Graecos Graeca, apud Latinos Latina voce dicuntur. Hymni vero matris deum ubique propriam i. e. Graecam linguam requirunt.“ Sed alius fortasse Varronis, alius Servii aetate mos obtinebat.

¹⁾ Moschus 2, 98 de mugitu tauri Europam vehentis: ἀπὸ τὸ μιλίχιον μνησάτο· γαῖο κεν ἀλλοῦ Μυθονίου λιγὸν ἦχον ἀνηπύοντος ἀκούειν.

²⁾ De alio asini in Cybelae sacris usu cfr. Vergil. cop. 25 sq. Babr. fab. 126. Phaedr. fab. III, 20. Lucian. asin. 37 sqq. Apul. metam. VIII, 27 sqq.

³⁾ Locus sic mihi concipiendus videtur:

*ánima ut conclusa in vesica, quándiust arte ligata,
si pertuderis, aera reddet*

In libris legitur *quando est*. Nonii lemma: „aër sonus.“ Meinekus Ztschr. f. d. AW. 1845 col. 737 et Muellerus metr. poët. Lat. p. 146 anapaestos Aristophaneos fecerunt, alter scribendo *quandoque* vel *artequae*, alter *reliigata* et nescio an memoria lapsus *cum*. Mihi cur octonarii probentur dixi in Vindiciis tertiis ad Buecheleri p. 431.

38. (3 V. 35 R.) Nonius II, 386 p. 119, 1: „Gallare, ut est bacchare. Varro Eumenidibus: *cum illo vento, video Gallorum frequentiam in templo, qui dum essena hora nam adlatam inponeret aedilis signosiae, et deam gallantes vario retinebant studio.*“

In lemmate *id est* Merceriana (1614); *bacchari* Iuniana (1583); in eadem est saturae nomen omisum, in notis e codice N. Fabri restitutum cum praepositione. In Varronianis *illos* edit. ante 1526, item cod. Leid. atque etiam Guelferbyt. ex conlatione I. G. Schneideri apud Osannum in Hall. Allgem. Liter.-Ztg. 1843 col. 693. Deinde *ad latera* ante Mercerium (1614), qui edidit *at latam*. Apud Gothofredum quod est *imponerent*, e Iunii coniectura inrepsit. Denique Venetae *retiebāt*.

In lemmate *ut est* sanum videtur, *est ut* Salmasius voluit exercitatt. Plinian. p. 1087 (ed. 1629), idemque *gallari* et *bacchari*. Ac vera est haud dubie in hoc denominativorum genere forma verbi deponentis, ut sunt virginari, iuvenari, adulescentari, vilicari, scortari, ancillari, dominari, architectari, aeditumari, graecari aliaque plurima; sed quam ne in his quidem non saepe rationem deseruerit usus sat multis exemplis et Nonii docet de contrariis generibus verborum libellus et et quae conguessit Priscianus inst. VIII p. 791—799 P. Neque tamen Nonio crediderim *gallare* Varronem dicturum fuisse active; non inveniuntur certe nisi unius participii casus *gallantes* et *gallantibus*. Ipsa vero Varronis verba cum sint turpissimis mendis prorsus deformata, non mirum est viros doctos in refingendis eis in diversas partes abiisse. Ac Iunius quidem hanc fere ms. lectionem esse ait, coniectura sua adiutam: *cum illò advento (alias ventito) video G. f. i. t. qui dum esset iam hora, Deam adlatam imponerent aedis signo: sic Deam gallantes v. r. st.* Popma haec *essena hora nam ad latera* lunulis saepa parenthesin fecit, cuius sententiam significavit in coniectaneis proponendo *dum aes (στενόπορα nam ad latera,) imponeret aedilis signosiae, deam g. v. r. st.*, hac, quam aptam dicit, sententia: „Dum, inquit, aedilis inferret stipem cellae, cuius ad latera erant angusta foramina, in modum thesauri: Galli Deae laudes dicebant, occinebantque varias salutationes atque naenias, quibus moris erat diis valedicere, et tanquam pueris occupare somnum.“ De dormitionibus deorum adfert verba Arnobii adv. nat. VII, 32, de aere haec Pauli exc. Fest. p. 108 M.: „Impensam stipem, aes sacrum, quod nondum erat pensum“, de stenoporis (in ed. 1601 στενόποροι sunt,) haec Varronis ling. Lat. VII, 2, 17 „Delphis in aede foramen ad latus est quoddam, ut thesauri specie“. Quem Varronis locum cum in ed. 1589 alios frustra interpolasse censuisset et tamen ipse in ed. 1601 interpolasset scribendo „vallatum in thesauri speciem“, incidit ei ut commode posse restitui putaret *senā phora; φορὰν* esse collationem, *ἔρανον*, eamque hic senam ad latera Gallorum, qui totum diem imo mensem rogarent stipem; nisi quis etiam malit, inquit, *iam adlata erat*. Denique *signosiam* interpretatur hibridam vocem esse, quales sint dentarpage, biclinium, epitogium, Anticato, et quasi *signi νοσσίαν* i. e. mansiunculam, loculamentum. Idem in ed. 1589 narrat quemdam scribendum putare *esset hora nam ad λάτρα, imponeret ae. signosiae, et*, quorum nihil intellego. Laurenbergius in Antiquario Iunii expressit emendationem. Salmasius: *quum illò venio et dum esset cenae hora iamque adlatam apponeret aedilis signo esui, deam gallantes vario detinebant studio*. Oehlerus: *vento et dum in esseda coronam adlatam imponeret aedilis signo, essedam et Deam g. v. retin. st.* Ribbeckius quoque fatetur se olim, id est nondum cognita Lachmanni emendatione, duce Livio XXVIII, 14 haec coniectasse: *dum de esseda matronarum manu adlatum inponerent aedibus signum Ostiae, deam*. Postea ipse cum Vahlens receptit quod in prooemio ind. lect. univ. Berolin. aest. 1848 scripserat Lachmannus: *cum illo venio, video gallorum frequentiam in templo, qui dum messem hornam adlatam inponunt Attidis signo, synodiam gallantes vario recinebant studio*.

Ex his Popmana retulisse refutationis instar est. In Iunianis *iam* otiosum est, deinde post *hora* desideratur *qua*, denique aedis signo quomodo inponi possit dea adlata, quae ipsa signum est, non intellegitur.

Salmasius quo loco suae lectionis rationes reddiderit et explicationem, quod se facturum pollicetur, non inveni. Aedilem scribit pro aedituo dictum τὸν νεωκόρον neque id Glossarum auctorem omisisse. In glossis Philoxenianis est „aedilis, ὀμῆλιξ ἀγορανόμος“ et „aeditilis, νεωκόρος“. Patet neque aedilem neque ὀμῆλικα dici potuisse, qui in eisdem aedibus adolevit, ut putabat Scaliger ad Paul. exc. Fest. v. aedilis p. 318 ed. Lindem., sed duas confusas esse glossas, quarum altera esset „aecualis, ὀμῆλιξ“, altera „aedilis, ἀγορανόμος“. Neque singularis illa vox quae est „aeditilis“, si corrupta sit, dubitari debet, quin in „aedituus“ mutanda potius sit quam in „aedilis“, solaque scriptura haec glossa differat ab ea quae est in Cyrillianis „νεωκόρος, edituus“. Atque etiamsi verum sit, quod secundum Niebuhrium röm. Gesch. I p. 651 ed. II. quidam putaverunt, ab eo primum nominatos esse aediles qui fuerunt plebis, quod in aede Cereris munus obisse videantur ex Liv. III, 55, 13, vel, quod testatius est, adpellatos esse ab aedium sacrarum cura (cfr. Becker.Hdb. d. röm. Alterth. II, 2 p. 292 n. 742. p. 316 n. 790); tamen, quamquam verbis simillimis Varro dicit ling. Lat. V, 14, 81 „aedilis, qui aedes sacras et privatas procuraret“ (cfr. Cicer. Verr. V, 14, 36) ac VII, 2, 12 „quidam dicunt illum qui curat aedes sacras aedituum, non aeditumum,“ ac pari fere similitudine Paulus exc. Fest. in utraque voce, mireque Iohannes Lydus de magistr. I, 35 a pontificibus, quos interpretatur ἀρχιερεῖς νεωκόρους, deflexus ad aediles, ὅθεν aediles τοὺς ἀγορανόμους, inquit, ἔτι καὶ νῦν συμβαίνει καλεῖσθαι, καθὸ τοὺς ναοὺς οἱ Ῥωμαῖοι αἰδης καλοῦσιν, parum tamen credibile est, aediles vocatos esse ab ipso Varrone qui essent sive aeditui sive aeditimi,¹⁾ quorum de adpellatione non semel ita disceptat ipse, ut aeditimos sive aeditumos vero et antiquo, aedituos novo et commenticio nomine dici contenderet, rust. I, 2, 1. de Lat. sermone ad Marcell. ap. Gell. XII, 10, 4. ling. Lat. VII, 2, 12, et esse illud vere antiquum locupletius quam titulus Fabretti p. 41, 218 = Orell. 2445 et apud Cicer. top. 8 Ser. Sulpicius testantur sacra Argeorum ap. Varr. ling. Lat. V, 8, 50. 52; ipseque sic loquitur Varro rust. I, 69, 2. ling. Lat. VIII, 33, 61. Itaque aut aeditumus scribendum pro aedilis, aut, si voces eas a librariis permutatas esse parum credibile sit, totum illud abiiciendum, praesertim cum non videatur demonstrari posse, aedituorum tale munus fuisse, ut deo deaive i. e. eius signo cenam sive epulum adponerent, quod par erat aut ipsos sacrificantes aut sacerdotes vel certos quosdam ministros facere; cfr. Dionys. Halic. antiq. II, 19.²⁾ Ipsis autem aedilibus id muneris adfingere prorsus ridiculum sit, quamquam is magistratus, ut habebat Romae aedium sacrarum procuracionem ludosque faciebat cum deorum quorundam religione coniunctos atque, ut intellegitur ex Liv. III, 30, 10. XXV, 1, 10. XXXVIII, 14, 9 peregrinorum sacrorum piacula prohibebat, ita Tusculi fuerunt aediles lustrationis montis sacri (inscr. Orell. 3142. Henzen. 6110? 6997), Ostiae aediles et praetores sacris Volkani faciundis (Or. 1381. Hz. 5987; cfr. Or. 2116. 2204. 2205. Hz. 7011). Neque vero magis vel aedilis vel aeditui erat, ut ad Ochlerum veniam, in esseda adlatam coronam inponere signo; et quam coronam qua in esseda non advectam sed adlatam?

¹⁾ Si quis tamen suspicetur ex aeditumis olim exortos esse aediles, possit is id quod a Livio III, 55, 13 traditur L. Valerio M. Horatio coss. institutum, ut senatus consulta in aedem Cereris ad aediles plebis deferrentur, quae antea a consulibus supprimerentur vitarenturque, referre ad morem testamentorum tabulas, quo tutius servarentur, apud aedituum aliquem deponendi, quem morem testificatur Ulpianus libro LXVIII ad edictum in Digest. XLIII, 5, 3, 3. Aedituum depositarium iam habes apud Xenophontem anab. V, 3, 6 Megabyzum illum Ephesium, qui tamen secundum Strabonem XIII, 1, 23 p. 641 sacerdotis numero habendus est, quemadmodum sacerdotum atque aedituorum discrimen tollere videtur Plato legg. VI p. 759 b. XII p. 953 a.

²⁾ Automedon epigr. 8 (Anth. Pal. XI, 324) α. δέξαι, Φοῖβε, τὸ δέπνον ὃ σοι φέρω. β. ἦν τις ἐάση, δέξομαι. α. εἴτα φοβῆ καὶ σύ τε, Αἰητοῖδης; β. οὐδένα τῶν ἄλλων πλὴν Ἄρριον. οὗτος ἔχει γὰρ ἄρπαγος ἰκτίνου χεῖρα κραταιοτέρην ἀκνίσου βωμοῦ νεωκόρος ἦν τελέσῃ δὲ τὴν πομπήν, ἄρας ὄχεθ' ἅπαντα πάλιν. ἐν Διὸς ἀμβροσίῃ πολλὴ χάρις· εἰς γὰρ ἂν ὑμῶν ἤμην, εἰ λιμοῦ καὶ θεὸς ἤσθάνετο. Furacem notat poëta aedituum, qui quas homines religiosi deo cenas adposuissent, ipse post illorum discessum subriperet. Non potuisset autem illud hominis cum deo colloquium fingere, si ipsi rei divinae interfuisset neocorus; unde sequitur, illa ἦν τελέσῃ τὴν πομπήν et πάλιν quomodo interpretanda esse videantur.

Nimirum compti erant, ut scribit Arnobius adv. nat. V, 16, violaceis coronis et redimiti arboris ramuli eius, quam a. d. XI kal. April. in aedem Palatinam inferebant dendrophori Matris Magnae; Marquardt röm. Alterth. III p. 316. Sed quid opus est talibus inhaerere redarguendis, quorum una excusatio est in tenebris quaesisse lucem? Nec operae pretium fuerit Ribbeckii commentum ad vivum, ut aiunt, resecare, quod illum ipsum, si minus tum festinanter scripsisset, ne in imo quidem margine credo adnotaturum fuisse. Una igitur superest emendatio Lachmanni, eaque tam praeclarum ingeniosissimae sagacitatis exemplum est, ut nihil ab eius laude derogare mihi videar, si et mihi olim in Salmasiana sententia etiamtum pendenti contigisse profiteor, ut *recinebant* legendum esse ipsumque illud carmen, cuius sunt particulae fr. 36 ac 37, indicari perspicerem, et esse quaedam, in quibus etiamnunc haeream, non dissimulo. Quae ego ne ipsa quidem restituta fuisse mihi persuadeo, si a sese inpetrasset vir argutae brevitatis amantissimus, ut sententiam suam pluribus explicaret. Primum igitur in *illos* latere videtur *illoc* adverbium, quod olim legebatur Terent. Andr. 362, ubi fortasse deleta *ad* scribendum *quom illoc venio*. Cfr. Hand. Tursellin. p. 215. Deinde ne *vento* quidem damnaverim, quod veteres dixisse scribit Festus p. 376 M.; et erat antiquus sermo amans frequentativorum, Varro sermonis antiqui. Tum *inponunt* non malim quam *ponunt* et *in* syllabam ex antecedenti littera *m* iteratam putem; quia non tam inponi videtur debuisse messis signo quam adponi, poetae autem atque etiam alii scriptores nonnumquam poni ea alicui dicunt quae adponuntur; cuius rei exempla satis multa lexicographi contulerunt. Porro *messem hornam*, nescio quatenus Lachmanni mentem adsequar, si stipem interpretor, quam galli *μητραγγοτόωντες* hoc anno in festo Magnae Matris coëgissent. Quos enim Cicero de legib. II, 9, 22 iustos dies dicit et II, 16, 40 paucos, quibus stipis cogendae licentiam Matris Idaeae famulis concessam velit, conferentibus Dionysii Hal. antiq. II, 19 verba ipsos Megalesiorum dies videtur intellegere; qui cum essent anniversarii, hornae adpellatio satis propria est. Messem autem dici *μεταφορικῶς* stipem illam quotannis emendicatam et quasi annonariam cum per se satis liceret, tum accedebat fortasse quaedam interpretatio physica, qua omnis iste Magnae Matris cultus ad agri culturae significationem pertinere putabatur; cfr. Varr. rer. divin. XVI ap. Augustin. de civit. Dei VII, 24. Firmic. Matern. de err. profan. relig. 3. Verum obscurius mihi quidem est, *synodiam* quam intellegi voluerit, *συνοδίαν* an *συνφοδίαν*. Quorum cum alterum videatur significare posse comitatum gallorum metragyrtiarum, alterum pertinere ad homines iam nunc cymbalis tympanis tibiis vocibus constrepentes, ac prope verear ne hoc potissimum Lachmannus cogitaverit contra ac mihi visum est Philol. XVII p. 85; illud dubito an Latine vix possint aliqui dici recinere *συνφοδίαν*, quam concentionem dicit Cicero pro Sest. 55, 118, vixque comparari debeat vel illud Ausonii parent. 27 in carmine proceleusmatico: „et amita Veneria celeriter obiit, cui brevia melea ¹⁾ modifica recino“; plerumque enim subiectus recinendi verbo accusativus id ipsum de quo canitur significat. Sentio vero etiam illud alterum quam non habeat satis ad persuadendum evidentiae, quae vix augeatur sic interpretando, ut dicas, gallos Attidi *συνοδίαν* suam recinehentes declarare, se quidquid ipsorum collegium gallando per urbem stipis coëgisset illi quaesisse, illi ut proprium debitumque offerre. At idem fateor non suppetere mihi aliam quae illi iure praeferatur loci corrupti emendationem, quamquam plura in mentem venerunt, in quibus aliquotiens *hunc et deam*; quod ego, quoniam aliqua inter hanc siglam *h̄ce* et *fiae* ductuum similitudo intercedit, dum felicior hora obtigerit, interim tenebo. Denique ultimum illud *studio* et numeris refragatur, qui in relicuis satis perspicue adparent, et nescio quomodo languere mihi videtur desideranti verbum quo barbarus ille concinentium strepitus denotetur. Proposui in Philologo XVII p. 85 graecam vocem *κτύπη* necdum inveni quod praestet; nam cum in libris saepe inter se confundantur litterae *S* et *C* itemque

¹⁾ Scripsi *melea* pro *mela* in Philologo VIII p. 40, item L. Muellerus metr. p. 107.

D et *P*, unius litterulae *I* discrimen est inter *STVDIO* et *CTVPO*. Sunt autem vocabula κτύπος et κτυπεῖν valde usitata in denotando bacchantium ac gallantium strepitu. Eurip. Bacch. 60 βασίλειά τ' ἀμφὶ δώματ' ἐλθοῦσαι τάδε κτυπεῖτε Πενθέως. 128 ἀνὰ δὲ βάκχια συντόνῃ κέρασαν ἠδυβόα Φρυγίων ἀλλῶν πνεύματι ματρός τε Πέας ἐς χέρα θῆκαν κτύπον ἐδάσμασι βακχῶν. 240 παύσω κτυποῦντα θύρσον ἀνασεύοντά τε κόμας. 513 ἢ χεῖρα δούπου τοῦδε καὶ βύρσης κτύπου παύσας. Strab. X p. 470 καὶ οὕτως τὰ Διονυσιακὰ καὶ Φρύγια εἰς ἓν συμφέρονσι τὴν τε Ἴδην καὶ τὸν Ὀλυμπον πολλάκις ὡς τὸ ἀπὸ ὄρου κτυποῦσιν (οἱ ποιηταί)· ἐτὶ τῷ δ' ἀλλῶ καὶ κτύπῳ κροτάλων τε καὶ κυμβάλων καὶ τυμπάνων κτε. Oppian. cyneg. III, 247 τύμπανα δ' ἐκτύπεον καὶ κύμβαλα χερσὶ κρόταινον. Nonn. Dion. XX, 4 καὶ κτύπος ἦν τυμπάνων ἐπιδόρπιος, et saepissime per totum poëma. Diogen. trag. ap. Athen. dipn. XIII p. 636 c. τυπάνοισι καὶ ῥόμβοισι καὶ χαλκοκτύπων βόμβοις βρεμούσας ἀντίχερσι κυμβάλων. Lucian. dial. deor. 12, 1 ὁ δὲ ἐπιβομβεῖ τῷ τυμπάνῳ ἢ ἐπικτυπεῖ τῷ κυμβάλῳ. Ion. ap. Athen. III p. 185 a. Apollon. Rhod. I, 1136 all.

Versus autem sunt, quos iam in Philologo indicavi, trochaici septenarii, quos sic dimetior:

∴ cum illoc vénto, video gállorum fréquentiam
in templo, qui, díam messem hornam adlátam ponunt Attidis
síño, hunc et deám gallantes vário recinebánt ctypo.

Synodiam qui retinere volet, aut *signo synodiám* leget, si *συνοδίαν* tuebitur, aut, si *συνφδίαν*, *signó synodiám*, versu facto octonario.

39. (6 V. 38 R.). Nonius II, 260 p. 102, 10. „Excantare significat excludere. —. —. Varro Eumenidibus: *ubi vident se cantando ex ara excantare non posse, deripere incipiunt.*“

Venet. 1496 *diripere*; item Laurenbergius antiquar. et Pareus lex. Plaut. (ed. 1634) v. excantare, non consilio, ut puto, sed incuria sive sua sive, ut in Veneta, typographorum. Vahlenus, ut verum septenarium efficeret, *posse* mutavit in *pote*, auctoritatem secutus Ritschelii, qui in prolegg. Plaut. Trin. p. CXI ait *pote* non pro *potest* tantum vel *potis est* usurpari, sed etiam pro aliis formis eius verbi, etiam pro infinitivo. Cogitavit idem Vahlenus etiam de infinitivo *potisse*, quem Lucilii auctoritate firmavit Lachmannus in Lucr. V, 880, et de versu octonario; neutro modo numeros posse addubitari. *Deripere incipiunt* utrum dactylicum versus initium sit an trochaicum, non liquere. Ribbeckius tamen prosam revocavit; eademque videtur Luciani Muelleri fuisse sententia, recepturi aliter in Hipponacteos Italicos hos tetrametros

*ubi vident se cántando ex ara éxcantare nó n pösse,
deripere incipiunt . . . ! . . . ! . . .*

certe non inelegantiores plerisque quorum nubem effudit p. 414 sq. 438 sq. Me quidem quominus faciam hoc unum inpedit, quod tales a Varrone factos esse scizontas nondum ille mihi persuasit. Satis multi enim Varronis et trimetri et tetrametri claudi inveniuntur ad Graecae artis severitatem facti, quos a Scaligero, Meinekio, Lachmanno seque ipso repertos conlegit Vahlenus p. 86 sqq. Quorum de lege postquam Lachmannus praecepit in Lucr. I, 816, duo vel tres inventi sunt loci, in quibus hoc sibi concessisse licentiae videretur Varro, ut thesin antepaenultimam pro brevi longam faceret, quod paenultimam, sicut in non claudis, longam facere ischiorrhogicorum vastitatem vitanti non liceret; qua de re dictum est a me in Vindicis secundis (Phil. XVII p. 91) et tertiis (ad Buecheleri p. 440). Quamquam neque in admittendis ischiorrhogicis ab Hipponactis et Ananii auctoritate descivit, neque in admissis thesin illam voluit esse longam. Sed cum illud Ciceronianum „senarios et Hipponacteos vix effugimus“ (Or. 56, 189) videri possit eo valere, ut indicio sit tales etiam Hipponacteos esse factos a nonnullis veteribus poetis Latinis, quales facerent senarios, id est thesium quantitate promiscua; haud sane mirum accidit, quod non modo Kochius exercitatt. crit. p. 29

sed etiam Muellerus id genus Varroni tribuerunt. Habet quidem meo iudicio propter illos, de quibus constat, versus Graeca arte factos non adeo multum per se probabilitatis ista opinio; sed quoniam id ipsum, quam varius fuerit in numeris Varro, nondum scitur potius quam quaeritur, ita tamen est comparata, ut a ratione res redeat ad exempla, quorum vi, si qua in iis vis sit, convinci nos patiamur. Verum hic quis credat eundem qui in Marcopoli *περὶ ἀρχῆς* (fr. 3) hos fecisset tetrametros elegantissimos:

nēmīni fortūna currum a cárcere intímó míssum
lábi inoffensúm per aequor cándidam ad calcém sívit,

eadem in satura (fr. 4) talem fecisse abortum:

sénsus portae, vénae hydragogiaé, cloacam intéstini — ?

in quo, nisi qui est suis opinationibus praestriatus, statim quivis agnoscit partes senariorum:

. . . sensus pórtae, venae hydragógiae,
cloáca intestiní

ultima vocali fortasse per elisionem abiecta. Sunt autem eiusdem farinae Muelleriani scazontes tantum non omnes.¹⁾

¹⁾ Marciporis fr. 2 *deim mittit* | *virile veretrum in frimen offendit biccā* | *Volimnio* nihil habet quod sit ab Hipponactis arte alienum; cfr. Philol. XV p. 281. Item iusti sunt numeri Manii fr. 18 *tum ad mé fuerunt quód libellíonem esse* | *scibánt*, modo ne legatur *sciébant*. *Ταχῆς Μενίππου* fr. 22 Muellerus *ást in segetibus post messem colligebant stráménta* | *qui domicilia cólerent*; immo septenarii sunt iambici . . . *ást in ségetibus post méssē colligébant* | *stráménta, qui domicilia colerent*; nam *domicilia* quadrisyllabum est ut *domi* monosyllabum; *ást pro at* a Muellero recepi, sed potest at verum esse. Fr. 16 Muellerus [*ét*] *λιθόστρωτά pavimenta et parietes* [*in*] *crústatos*; est vero pars octonarii trochaici . . . *λιθόστρωτα pavimenta et parietés crustatos*, de quo dixi Philol. XV p. 289. Fr. 9 Muellerus *índe putídās úvas* | *acínis electis ét comestis ésténdit* | *in léctis quondam*; qui locus est e speciosissimis, sed tamen ut, cur talia non putet prosam esse, qui prosam his saturis relinquat, vix intellegas. Mihi quidem locus plus uno videtur vitio laborare; ac primum Popma non de nihilo coniecisse *in lecti spondam*, Vahlenus *sponda*; deinde non *pútidas* i. e. foetentes, sed *pútridas* i. e. madore corruptas uvas ille, quisquis erat, sprevisse, acinis electis et comestis non omnibus sed qui essent boni et incorrupti; eoque sic fere legendum esse: *índe putridas úvas*, | *acínis bonis electis et comestis exténdit*, | *in lécti sponda*. Papiapapae *περὶ ἐγκομιών* fr. 3 Muellerus *omni óbstant in ministerio invidúm tabes*; sed *tabes* alterius versus initium est, sive septenarii trochaici, ut ego putavi Eum. I p. 12, sive senarii iambici, ut Vahlenus con. p. 47. Fr. 9 Muellerus *dóminum convivi* [*tu*] *vínū aliúdvē — quidni? — laúdátō*; immo ne litterula quidem mutata *dominum convivii* | *vinum aliudve quid mi laudatō*; cfr. Eum. I p. 13; Vahlenus p. 48 octonarii partem fecit. Fr. 10 Muellerus *dum víxí promíscua ávis meis in chortíbus pávit*; ego de eo loco (est autem in libris *promis caris mei*) dixi in Vindiciis tertiis ad p. 440, quae nunc, edoctus a Muellero *pascere* etiam dici pro *pasci*, ita retracto, ut cum Roaldo Oehleroque et Ribbeckio legam *dum víxí promíscua ávis meis in chortíbus* | *pavit*, numeris senariis. Caprini proclii fr. 1 Muellerus *ne vóbis censeám sí ad me reférrétis*; at rationi convenienter Oehlerus coniecit *referetis*; sunt igitur senariorum partes *ne vobis censeam* | *si ad mé referetis*. Promethei fr. 13 Muellerus *ebúrneis* (nempe e quadrisyllabo factum trisyllabum) *lectis ét plagis sigillátis*; at Varro, si choliambum volebat facere, cur non dicebat sine vitio *lectis eburnis* (vel *eburneis* trisyll.) *ét pl. sig.*? Nunc etiam trochaeos dimetiare verbis in duorum versuum partes distributis, vel qui ultimarum traiectionem non veretur, senarium. *Ἐῶρεν ἡ λοιπὸς τὸ πῶμα* fr. 3 Muellerus *cúius ubi annis múltis másculi vestígium ínventumst*; ego adhuc opinatus sum *cúius ubi annis múltis* [nullum] *másculi vestígium* | *inventumst*, nempe ita ut, si ineptum quibusdam videretur additamentum, truncati ab initio versus refugium superesset. Denique in satura quae inscribitur Serranus *περὶ ἀρχαγεσιών* suorum temporum vitia Varronem dicit isto trochaeorum scazontum genere insectatum esse. Ac primum adfert p. 438 fr. 8, quo senatorum in curia consultantium pravitas et socordia describatur: *dórmít alíus. vígilant, clamant nímirum, calént, ríxant*. Scilicet emendavit non modo numeros sed etiam elocutionem traiectis verbis, quorum hic apud Nonium ordo est: *nímirum vígilant, clamant, calént, ríxant*. Et est sane aliquid vitii in traditis, quod cum olim sic eximendum putassem: *dórmít alíus?* [*hi*] *nímirum vígilant, clam[ít]ánt, calént, ríxant*, nunc propter aliorum huius saturae versuum numeros magis placent iambici septenarii: *dórmít alíus?* [*hi*] *nímirum vígilant, clamánt, calént, ríxant*; possis etiam: *dórmít alíus?* | *nímirum* [*hi*] *vígilant, clam[ít]ánt, calént, ríxant* Fr. 7 cum Kochio *hínc vocas e líquida víta in cúriae vestrae faécem*; nihil enim interest quod cum Mercerio Kochius scripsit *ex*, Muellerus *e* ut Vahlenus coniecit. p. 89 sq., qui analect. Non. p. 36 *ec* scribendum esse docuit. Atque hunc Kochii sui scazontem

Itaque ego dubitans illud *pote*, quod sit *posse*, Varroni tribuere, scazontas vero Muellerianos a Varronis arte alienos putans, animum induxi ut sic scribam locum octonariis trochaicis conceptum:

*ubi vident se cāntando ex ara excantare [mé] non posse,
deripere incipiunt . . . ! . . . ! . . .*

Etenim verisimilior quam Lachmanni hunc locum ita interpretantis, ut galliambis fr. 36 Attin ex ara excantari dicat, videtur mihi esse sententia Vahleni eatenus, qua ipsum qui haec narrat in ara sive deae sive Attidis consedissee dici existimat. Nam in relicuis quod opinatur hominem insanum in templum Cybelae confugisse eiusque deae aram occupasse, quo salutarem eius opem experiretur, quod cum Cybeles sacerdotes medicae artis peritos tum Cybelen ipsam sanandi animi morbum facultate praeditam homines crederent,¹⁾ mire insanientem suum istum facit, quippe cetera sanum, praeterquam quod ipse pro insano se habeat (vid. part. II p. 20). Immo videtur homo aliquam ob causam pro insano habitus (fr. 43. 44), quo a vociferatione et conglobatione insectantis ipsum et quasi furiis quibusdam instinctae multitudinis sese tueretur, in proximam Matris Deum aedem se proripuisse, non alio id quidem eventu quam ut hic quoque alienae spectator insaniae ipse tamquam insanus expelleretur. Contra qui cum Lachmanno faciunt, ne dicam in ipsa ara positum frangi simulacrum Attidis non admodum credibiliter, id ipsum quo illud more quave religione ducti excantare ex ara frustra excantatum deripere instituerint galli, vereor ut antiquitatis testimoniis satis possint demonstrare. Vellem certe Lachmannus, quamquam ad aliam tum erat rem intentus, egregiam illam hic tantisper omisisset breviloquentiam, dum quomodo expediri illud vellet verbo aperiret. Nunc dubito an deripere ex ara deum prope eiusdem impietatis futurum fuerit atque e caelo, de quo cfr. Tibull. I, 10, 60. Excantandi autem in verbo ridicula usus videtur poetae ambiguitate, ut dicantur galli putasse id se cantu suo varioque illo organorum ctypo effecturos, ut homo, qui aram occupaverat, tanti strepitus inpatiens quasi magico carmine, quae est peculiaris eius verbi potestas,²⁾ coactus primo quoque tempore ab eo loco

etiam Vahlenus p. 89 ausus est tolerare non placente sibi hac distinctione: *! . . . hinc vocasse e liquida vita in curiae | vestrae faecem*. Nec magis mihi placeret hic traiectis verbis versus quadratus: *hinc vocasse e liquida vita in vestrae faecem curiae*; sed rursus agnoscere mihi videor iambicorum partes: *! . . . ! . . . ! . . . hunc vocasse | ec liquida vita in curiae vestrae faecem . . .*, sequente vocali, quasi *ac sentinam*. Fr. 6 Muellerus *noster Atticus ruralis homo item in curiam lectus | commacesebat*, verbis ultima parte mancis olim adfuisse indicans illud *macore*; est enim Nonii lemma *macore*. Sed vid. Philol. XV p. 289. Vahlen. anal. Non. p. 36. Ex illis *ruralis* Popmae debetur, *commacesebat* Iunio, verborum traiectio Muellero; in libris enim est *rivalis homo item lectus in curiam cummacesebat*, his variantibus ut in edd. ante Mercerium legatur *iturus* pro *item lectus*, in Venetis *ante* pro *cum*, in Aldina *noster* sit omissum. In loco haud dubie corrupto hoc tamen satis certum esse mihi videtur, versus iambici septenarii exitum esse haec verba *rivalis homo item lectus*, initium *in curiam*. Deinde *cum* natum puto vitio dittographico ex compendio praegressae vocis *curiam*; quo concesso quoniam illud *macesebat* non ferunt numeri, aut simpliciter abiicienda est temporis imperfecti terminatio, ut aliis nonnullis in locis (cfr. Philol. XV p. 285), aut haeret in ea verbum *tabescendi*. Itaque donec pro *rivalis*, quod non habeo quomodo probem, inveniatur aliquid quod sit Popmae invento praestabilius, sic legendum hunc locum arbitror: *! . . . noster Atticus rivalis homo item lectus | in curiam macescit et tab[escit] . . .*; cfr. Plaut. Capt. 134 „*macesco*, consenesco, *tabesco* miser.“ Postremum, nisi quid me fugit, exemplum posuit eiusdem saturae fr. 4 *occipitium a rivo deo ostendo | ex oraclo elimino me*; at quidni legantur octonariorum partes: *! . . . ! occipitium a rivo deo ostendo | ex oraclo elimino me ! . . . ! . . . ?* nam de hiatu satis cavet Lachmannus in Lucret. III, 941 p. 195. Illud sane *a rivo* falsum est, Muellero quoque iudice; pro quo cum Vahlenus p. 218 coniecerit *ar duo*, Ribbeckius p. 125 *ambiguo*, mihi in mentem venit *arvigno* ex Varr. ling. Lat. V, 19, 98, ut de arietini dei Ammonis oraculo cogitarem. Sed obstare videtur Strabo XVIII, 1, 43 p. 813. Videant sagaciores.

¹⁾ Auctorem citat Schwenckium Mythol. d. Griech. p. 338; locupletior erat Lobeckius Aglaopham. p. 640 sqq.

²⁾ Plin. nat. hist. XXVII, 2, 4 „quid? non et legum ipsarum in duodecim tabulis verba sunt *QVI PRVGES EXCANTASSIT?*“ Seneca nat. quaest. III, 7 „et apud nos in duodecim tabulis cavetur, ne quis alienos fructus *excantassit*.“ Tertullian. ad martyr. 1 „coluber *excantatus* aut effumigatus“. Quintilian. declam. 10 p. 142 ed. 1665 „necessitatibus magicis *excantato* feretro.“

discederet. Simili ambiguitate lusit honorificentius Propertius III, 2, 49, ubi de amatoria sua poësi haec sibi dicentem facit Calliopen: „ut per te clausas sciat excantare puellas, qui volet austeros arte ferire viros“, et Plautus Bacch. 34 de meretricis blandiloquentia „nám tu quidem credo éxcantare cuívis facile cór potes“, quem versus Ritschelius ex hoc Nonii loco et Serv. ad Verg. bucol. 8, 71 conflavit. Denique ad illud *deripere incipiunt* cfr. Plaut. Rud. 784 „meas quidem ted invito et Venere et summo Iove de ara capillo iam deripiam“; 840 „meamne ille amicam lenó vi violentia de ara deripere Veneris voluit?“ 649 „Veneris signum sunt amplexae, nunc homo audacissimus eas deripere volt“; 673 „nosque ab signo intumo vi deripuit sua“; unde efficias etiam v. 600 verius legi *deripere* quam *eripere*.

40. (S V. 39 R.). Nonius VIII, 33 p. 487, 26: „Gallum pro gallorum. Varro Eumenidibus: *pruditatē an pudorem gallum coepit mihi videri*.“

Ald. Iun. Merc. *puditatem*, item Popma. — Oehlerus: *ruditatē an pudorem Gallum, coepit mihi, vereris?* Prellerus in censura editionis Oehlerianae (Neue Ien. allg. Literat. Ztg. 1847 p. 625) *procacitatem*. Vahlenus versu septenario: *ruditatē an pudorem gallum coepit inibi viderim*; quem ita recepit Ribbeckius ut pro *ruditatē* scriberet *própudium*.

Primum nomen quin mendosum sit, non est dubium; nam etsi fortasse, ut *providentes prudentes*, ita *providi* contracto nomine *prudi* dicti sunt apud ipsos veteres, ut sunt dicti medio quod vocatur aevo exeunte (cfr. Du-Cange glossar. med. et inf. Latinit. ed. Henschel t. V p. 496), unde Francogallica vox quae est prude, tamen quoniam non dicta est *providitas*, non magis *pruditās* poterat dici. Neque vero sanius foret vocabulum *puditatis*. Certe qua ratione calvi dicebantur calvere, flavi flavere, non poterat eadem dici pudere pudos; neque, si maxime posset, aut calvitas dicta est calvorum (alienissimus enim hinc est locus Ulpiani in Digest. XVII, 1, 29, 5.) aut flavitas flavorum, nedum puditas pudentium, qui erat aut pudor aut pudicitia.¹⁾ Atque cum constet de litteris *P* et *R* aliquotiens permutatis, fere liquet, non esse aliud apud

Horat. epod. 5, 45 „quae sidera excantata voce Thessala lunamque caelo deripit.“ Lucan. Pharsal. VI, 458 de amore carmine Thessalidum adducto; „mens hausti nulla sanie polluta veneni excantata perit.“ VI, 686 „vox Lethaeos cunctis pollutior herbis excantare deos.“ VIII, 931 „saepe quidem pestis nigris inserta medullis excantata fugit.“ Huc pertinet illa e Sasernae libro formula apud Varronem rust. I, 2, 27 „cum homini pedes dolere coepissent, qui tui meminisset, ei mederi posse. TERRA PESTEM TENETO, SALVS HIC MANETO (in meis pedibus.) hoc ter novies cantare iubet, terram tangere, despuere, ieiunum cantare.“ Pertinent etiam, quae apud Catonem rust. 160 mire corrupta transcribere vereor. Item apud Marcellum Empiricum c. 15 p. 105 ed. Basil. 1536 illud ad tonsillas evocandas: „Praecantabis ieiunus ieiunum; tenens locum qui erit in causa digitis tribus, id est medio, pollice et medicinali, residuis duobus elevatis dices: EXI [SI] HODIE NATA SI ANTE NATA, SI HODIE CREATA SI ANTE CREATA. HANC PESTEM HANC PESTILENTIAM, HVNC DOLOREM HVNC TVMOREM HUNC RVEOREM, HAS TOLLES HAS TONSILLAS, HVNC PANVM HAS PANICVLAS, HANC STRVMAM HANC STRVMELLAM HANC RELEGIONEM EVOCO EDVCO EXCANTO DE ISTIS MEMBRIS MEDVLLIS.“ Unam addo excantationem muriam agrestium scripto faciendam propter Matris Deum mentionem, Geopon. XIII, 5, 4 sq. λαβὼν χάριτην ἔγγραρον εἰς αὐτὸν ταῦτα „ἔξορκίζω [ὑμᾶς] μὴς τοὺς ἐνταῦθα καταλαμβανομένους, μὴ με ἀδικήσητε μήτε ἄλλον ἐάσητε· δίδωμι γὰρ ἄγρον ὑμῖν τόνδε,“ καὶ λέγεις ποῖον, „εἰ δὲ ὑμᾶς ἐτι ὠδὲ ὄντας καταλάβω, παραλαβὼν τῶν θεῶν τὴν μητέρα διαρῆσω ὑμᾶς εἰς μέρη ζ.“ ταῦτα γράψας κόλλησον τὸν χάριτην ἐν τῷ χωρίῳ, ἐνθα εἰσὶν οἱ μύες, πρὸ ἀνατολῆς ἡλίου, τὰ δὲ γράμματα ἔξω βλέπετω, πρὸς αὐτοῦν ἴδιον. Luciliani e saturarum lib. II apud Nonium fragmenti „quae ego nunc Aemilio praecanto atque exigo et excanto“ neque sententiam neque emendationem expedit. Ceterum quod apud ipsum Nonium elicere legi voluit pro excludere Broukhusius ad Propert. III, 2, 49, tueri hoc fortasse potest locus Augustini de vit. beat. 18 „spiritus immundus, quantum intelligo, duobus modis appellari solet: vel ille, qui extrinsecus invadit animam sensusque conturbat et quemdam hominibus infert furorem, cui excludendo qui praesunt, manum imponere vel exorcizare dicuntur, hoc est per divina eum adiuvando expellere“ e. q. s.

¹⁾ Atque etiam *pudicitas*. Dicta est enim pudicitia ut amicitia, pudicitas ut apricitas et mendicitas et antiquitas. Exemplum praebet Varro in Sexagesimi fr. 13 ap. Non. III, 444 p. 403, 27, quem locum sic lego:

... in quarum locum
sibihere inquilinae, impietas, perfidia, inpudicitas.

Nonium vitium quam quod dittographicum vocant, et recte scriptum esse ab Oehlero Vahlenoque *ruditatem*, praesertim cum *r* et *pr* saepius in Nonii libris confundi exemplis adlatis doceat Vahlenus anal. Non. p. 7. Neque quod in loco abrupto sciri non potest, quam dicat ruditatem, vel quod ipsa haec vox *ruditas* ex uno adfertur a lexicographis loco Apuleii florid. III, 20 ac ne eo quidem satis certo, non debet, inquam, ideo, ut opinor, vocabulum legitime factum ita abiici, praesertim apud Varronem, ut abeatur vel ad *procacitatem*, quam numeri non ferunt, vel ad *propudium*, quo verbo nemo Latinus adfectum vitiumve pudori oppositum significavit, sed aut facinus flagitiosum aut hominem. Atque etiam in relicuis satis speciosa est emendatio Vahleni, cum litterarum similitudine, tum quadam sententiae perfectione, quam minus eleganter captaverat etiam Oehlerus. Nec *coepit* omisso dicendi verbo positum a poetarum usu abhorret; quamquam Ovidianis illis fast. III, 215. 217 „desierat. coepi“ et „desieram. coepit“, quibus addi poterant notissimi versus Vergilii Aen. I, 521 „maximus Ilioneus placido sic pectore coepit“ et VI, 372 „taliam fatus erat, coepit cum talia vates“ alique, vix satis demonstratum videtur, quod in recta oratione haud dubie licuit, idem licuisse in interrogatione obliqua. Sed sententia ipsa non videtur esse admodum probabilis; quod quem hominem Varro fecit referentem quae in aede Matris Deum viderit, eundem Vahlenus referentem facit quae ab ea aede reversus alii quaerenti retulerit. Itaque mihi huius versus non modo sententia, sed ne verba quidem non manca esse visa sunt, quae, dum illa *ruditatem an pudorem* a superioris versus qui perit verbo aliquo suspensa fuisse puto, in hanc octonarii formam supplevi:

ruditatem an pudorem gall[um, dabi]um coepit mihi videri.

41. (9 V. 40 R.). Nonius II. 386 p. 119, 6: „Gallare, ut est bacchare. Varro Eumenidibus: — . Eodem: *nam quae vetustas hic adest gallantibus?*“ Nonius III, 87 p. 267, 9: „Castum, religiosum. — . Varro — . Idem in Eumenidibus: *namque venustas hic adest gallantibus? quae casta vestis?*“ Nonius III, 407 p. 386, 29: Species, pulchritudo. Varro Eumenidibus: *quae casta vestis, aetas quae adolescentium, Quae teneris species?*“

Primo loco ante emendationem Iunii hoc fragmentum cum fr. 38 continuabatur, ut *eodem* esset in verbis Varronis; *namque vetustas* Venett. et Ald., *nam quae venustas* ex Bentini coniectura Iun. et Merc. Secundo loco edd. Venett. Nonii lemmati addunt *pujicum*; in Varronianis eadem et Ald. *namque*, illae etiam *gallantibusque*, pro quo Ald. *galla tibi quae*, Iun. et Merc. utrumque ut primo loco. Tertio loco Venett. *quae castra aetas? quae vestris adolescentium*, Ald. *quae casta aetas, quae vestis adolescentium*, item Iunius nisi quod *adolescentium*, qui tamen inverso ordine *aetas, vestis quae* legisse traditur. Cod. Tornes. et Basil. *tenebris*.

Iunianam secundi loci lectionem reddidit Turnebus advers. XXVIII, 20, tertii XXX, 9. Laurenbergius v. *gallare voluptas* pro *vetustas*, in ceteris loci secundi Iunium secutus. Scaliger in Catalectis p. 253 et Popma primo et tertio loco in unum compositis Iunianam lectionem secuti sunt, nisi quod *vetustas* mansit

Libri *subierunt* et *inpudicitia*. Imitatus est locum Ovidius metam. I, 130. Sic fortasse etiam *pueritas* dicta est a Varrone pro *pueritia* in logistorico Cato vel de liberis educandis ap. Non. VIII, 90 p. 494, 19, siquidem sic legere licet:

..... velim
mehercules, inquit, ipse magno pueritatis formulam
audire

ubi libri *ipse usu magno et puerilitatis*. Ac par vitium ne ipso quidem Nonio, ut videtur, recentius haesit in Tithoni *περι γήρας* fr. 2 ap. Non. II, 418. V, 42 p. 123, 7. 443, 25, ubi non *iuvilitas* sed *iuvenitas* convenit ad senarium satis elegantem, *quam dereliquit multicipida iuvenitas*, elegantiore certe quam sunt Sotadica Muelleri p. 426.

apud Scaligerum, cuius in margine est „al' *castitas*“ (ed. 1595 comment. p. 348). Salmasius Plin. exerc. p. 1087 primum versum citans *his gallantibus* scripsit, quod scite inventum cum Oehlero Vahlenus Ribbeckiusque receperunt, in iis quae sequuntur, sicut ille, Mercerii lectionem eademque Rothii atque Gerlachii repraesentantes, coniunctisque locis senarios numeros exhibentes, quos inde ab Iunio nemo non agnovit. Iam quaeritur, utrum hi sequendi sint cum Muellero p. 427, an secundus versus e Scaligeri margine sic legendus: *quae castitas? quae vestis adolescentium?*

Castam vestem Vahlenus putat de gallorum habitu muliebri intellegendum conferrique iubet Creuzeri Symbolik und Mythologie (Deutsche Schriften I, 2) p. 364. In quo dubito an sive neglecta sive sprete Nonii interpretatione castam vestem dictam voluerit pro non casta interrogationesque acceperit pro adfirmationibus contrariorum. Nec, nisi quis *quam* pro *quae* scribat, illud *quae casta vestis?* aliter posse intellegi videtur, quando *teneris species* facile quidem illud in unam notionem coit, *casta vestis* non item. Non igitur, ut mihi videtur, prudentius Oehlero atque Vahleno Ribbeckius servata illa lectione, ! pro ? scribens, exclamations pro interrogationibus fecit. Sed *aetas quae adolescentium*, quamvis versum satis bene expleat, ad sententiam dictum est paullo perplexius, quod ego velim a tuentibus diserte explicari. Mihi quidem hoc loco veterum editionum lectio propius abesse a vero videtur quam quae nunc est e codd. mscr. recepta, quae ita fortasse conflata est, ut, cum errans librarius *vestis* scripsisset quo loco debebat *aetas*, hoc supra lineam cum altero coniungeretur. Quod si verum est, aut lacuna laborat locus p. 267, aut ipso Nonio antiquior corruptio est. Castam aetatem Turnebus XXX, 9 ait esse inpuerum, puberum vestem esse pubertatem. Verum haec quoque casta aetas aegre convenit ad sententiam, aegrius ad numeros; utrisque egregie satisfacit *castitas*, sive ea Scaligeri aliusve viri docti coniectura est, sive antiqua librorum fide nititur. Castitas autem nihil obstat quominus ad ipsam Nonii interpretationem referatur, ut sit sanctus quidam habitus ac religiosus. Est enim prorsus Nonianum eiusdem originis vocabula sub eodem lemme comprehendere. Vestem adolescentium non interpretor cum Turnebo lanuginem, quae neque laudari poterat in exsectis neque desiderari; ac dendrophori M. D. M., si forte non erant evirati, id quod ignorari puto, certe Varronis aetate nondum egisse Romae videntur; cfr. Marquardt röm. Alterth. III p. 316. Preller röm. Mythol. p. 734. Immo ipsam, quae proprie dicitur, vestem intellego, qua is qui loquitur aiat adolescentium corpora aut tecta fuisse decore, aut tegenda, prouti aut admirantis oratio est aut interrogantis. Puto autem esse admirantis, qui fortasse ruditasne ista an pudor gallorum esset dubitanti respondens quam esset honorifice de ea re sentiendum exponeret; quasi Germanice dicas: „welche Grazie wohnt den Verzückungen dieser Menschen bei! welch' ein frommer Anstand! wie sind die jungen Leute gekleidet! wie zart ist ihr Aussehen!“ Sic etiam *adest* significantius dictum adparet quam foret simplex verbum *est*. Itaque quadamtenus consentiens cum Ribbeckio („No. 40 halte ich für bewundernden Ausruf eines Gläubigen“) sic scribo:

nam quae venustas his adest gallantibus!

quae castitas! quae vestis adolescentium!

quae teneris species!

Teneris indiscreta declinatione dictum feminine pro *tenera* fugit grammaticos et lexicographos; quod si novisset Charisius, aliter iudicasset de adverbio *teneriter* atque fecit inst. gramm. p. 162 P.

42. (12 R.). Nonius III, 50 p. 250, 14: „Colere, inhabitare. — . — . — . Varro — . Idem in Eumenidibus: *ut Naiades undicolae*.“

In Forcellini indeque ductum in Schelleri lexico v. undicolae legitur *Naidēs*, quod verum puto. Vitio in deterioribus omnium poetarum Latinorum libris pervagatissimo ita iam pridem viri docti occurrerunt, ut *Naiades* recte scribi constet, ubi quadrisyllabo opus est, *Naidēs* ubi trisyllabo; cfr. Drakenborch. ad

Sil. V, 21. Probabile autem est, versus dactylici esse hoc fragmentum et fortasse, nisi *ut* vitio inlatum est, pentametri ad hanc fere speciem conformati:

— 5 5 — 5 *uti Naiades undicolae.*

Buechelerus p. 432 Sotadei initium putat *ut Naiades undicolae*; at *Naiades* non est choriambus.

Naidum commemorandarum quae caussa poetae fuerit, nemo, ut nunc res est, expediat. Oehlerum fortasse *teneris species* fr. 41 movit, ut hunc locum fragmento tribueret. De Ribbeckii opinione vide ad fr. 32. Dictum est fortasse de mulieribus lavantibus. — Pistrim undicolam dixit Festus Avienus Arat. phaenom. 809.

43. (1 V. 45 R.) Nonius II, 648 p. 153, 3: „Pueros pro servis. Varro Eumenidibus: *vix vulgus confluit non Furiarum, sed puerorum atque ancillarum.*“ Idem III, 497 p. 421, 6: „Vix, statim. — . Varro Eumenidibus: *vix vulgus confluit non Furgarum, sed puerorum atque ancillarum.*“ Idem III, 24 p. 242, 24: „Atrum dicitur nigrum. — . Varro Eumenidibus: *vix vulgus confluit non Furiarum, sed puerorum atque ancillarum, qui omnes me bilem atram agitare clamitantes.*“ Idem III, 329 p. 356, 15: „Opinio, suspicio. Varro Eumenidibus: *qui omnes me bim atram agitare clamitantis, opinionem mihi insaniae meae confirmant.* — . — .“

Nihil variant libri v. pueros. At v. vix in Venett. deest exemplum Varronianum; Ald. et Iun. *perfugarum*, marg. Iun. et Merc. *furiarum* de coniectura, ut videtur, codd. Guelf. et Leid. *fugarum*, Tornes. ut reliqui *furgarum* i. e. *furyarum*. Ad v. atrum adnotatur in ms. Helv. Barthii inter *vix* et *vulgus* esse lacunam. Denique v. opinionem marg. Iun. et Merc. *bilem atram* item, ut puto, de coniectura, quamquam e cod. Torn. nihil notatur, antea *bimatram*; Ald. Iun. Merc. *clamitantes*; Venett. *infamiae*. — Popma in priori editione *perfugarum*, in altera *Furiarum*, relicua in utraque ut Iunii margo et Mercerius; item Oehlerus; item Vahlenus et Ribbeckius, nisi quod hi praeceunte Lachmanno in Lucr. I, 805 p. 56 praetulerunt *clamitantis*. In ed. Durdrechtanae margine est incerti auctoris de coniectura *bile atra agitari*.

Dixi in Philologo XVII p. 97 una addita littera duabusque traiectis vocibus tres effici versus iambicos septenarios:

*vix vulgus non Furiarum, sed puerorum atque ancillarum
confluxit, qui omnes me bilem atram agitare clamitantis
opinionem mihi meae insaniae confirmant;*

non quo ita scriptum a Varrone contenderem, sed ne numerorum laterent vestigia. Neque plus tribui volo alteri coniecturae ibidem prolatae, quae sic habet: *vix [autem] vulgus | confluit n. F. s. p. a. a. | . . . , quom omnes e. q. s.*; quamquam illud *quom* ita posui, ut Nonio *vix statim* interpretanti denegarem fidem, quae haberi ei nullo modo debet. Recte enim Vahlenus iudicat, ex addito priore exemplo Vergil. Aen. II, 323 „*vix* ea fatus eram, gemitu *cum* talia reddit“, adparere illud *statim* quo sensu accipiendum sit. Itaque ille sententiam Varronis sic supplet: *vix vulgatur fama, cum vulgus confluit*, non absonum existimans hoc fragmentum cum fr. 28 aliquo modo conectere; memorabilem Nonii etiam in vitiis manifestissimis constantiam saepius se observasse, tetigisse eam etiam Ritschelium M. Rh. n. VI p. 520 not. Cuius constantiae ea fortasse caussa fuit, quod quae erant uno sub lemmate vitiose exscripta ex vetustioris cuiusdam grammatici scholiis glossisve, eadem vel ipse Nonius vel, quod non est cur nonnumquam accidisse negemus, posterior aliquis aliis sub lemmatis cum ipsis mendis iteraret. Ac nescio equidem quae sit Barthii de lacuna ms. Helv. fides; sed videtur tamen primaria fragmenti sedes v. atrum (atrum enim pro nigro antiquum et poeticum esse coepit,) et fortasse v. opinio; nam prior locus est haud dubie curtatus, qua in re fuit fortasse aliqua vis homoeoteleutorum verborum *clamitant* et *confirmant*. Scriptum enim puto *clamitant et*, numerorum ratione adductus, quos esse arbitror trochaicos octonarios, ut fragmenti 28, cui

ego non ante hoc fr. 43, ut Vahlenus, sed paullo post in eodem orationis decursu locum fuisse crediderim. Antecessisse autem suspicor fr. 45 et 46, in quibus cum de Furiis ac Poenis dictum sit, id ipsum notari videtur his verbis *non Furiarum*. Itaque talem fere olim huius loci habitum fuisse reor:

vix [ecfatus erám, cum extemplo] *vólgu confluit, nón Furiarum,*
séd puerorum atque ancillarum, qui ómnes me bilem átram agitare
clámitant et opinionem insániae mihí méae confirmant.

De scriptura quae est *volgus* vid. ad fr. 46 p. 38. *Mihi* post *insaniae* migrare iussi; *meae* monosyllabum est; *confluit* bisyllabum octonario condonatur.¹⁾ Supplementum, ut soleo, exempli gratia feci; est certe similis locus Sexagessis fr. 18 ap. Non. II, 136 p. 86, 20:

vix ecfatus erát, cum more máiorum ultro cásnares
árripiunt, de pónte in Tiberim déturbant

Nolui autem scribere *bile atra agitari*, quamquam est apud Plautum Amphitr. 727: „quid tibist? — delirat uxor. — atra bili percitast; nulla res tam delirantis homines concinnat cito.“ Est enim apud eundem Captiv. 596: „atra bilis agitat hominem“; unde intellegitur *bilem* subiecti, *me* obiecti loco esse. *Atra bilis* est *μελαγχολία*, agitari ea *μελαγχολίαν*, diciturque in volgari sermone de furiosis ut Cicer. Tusc. III, 5, 11 et Senec. epist. 94, 17, splendida bilis Horat. sat. II, 3, 141; non pariter a medicis, ut Celso II, 1, 7 et Scribonio Largo 104 (Marcell. Empir. 20 p. 135 Bas.) et Caelio Aureliano chron. I, 6; quocum magis convenit quod apud Vergilium Aen. VIII, 219 atrum fel et apud Persium 3, 8 vitrea bilis iracundiae sedes est. Sed *bilem* pro ira dici a multis et de atra bile a Galeno scriptum esse librum ut notum est ita ad hunc locum minus pertinet.

Quod autem Vahlenus contulit versum Horat. sat. II, 3, 130 „insanum te omnes pueri clamentque puellae“, speciosius fecit quam verius; Horatius enim proverbii formula usus, quemadmodum I, 1, 85, omnem populum significat, Varro pueros et ancillas homines infimae condicionis dicit per fora et plateas discursantes concursantesque. Quod denique opinionem insaniae suae sibi confirmari ait is qui loquitur, eo se iam multitudinis clamoribus adactum narrat, ut rectene saperet an secus ipse magis magisque ignoraret.

44. (25 V. 46 R.). Nonius III, 133 p. 285, 23: „Decernere est constituere, definire. — . — . — . — .
Varro in Eumenidibus: *forenses decernunt, existimatio nomen eum in sanorum numerum refert.*“
Idem III, 394 p. 381, 19: „Referre, ascribere. Varro Eumenidibus: *forenses decernunt, ut existimatio nomen meum in sanorum numerum referat.*“

Loco priore in Nonianis Ald. et Iun. in om.; in Varronianis Iun. *decernunt ut*; Venett. *cum insanorum*, Merc. *meum in sanorum*; Iun. *referat*. Altero loco Venett. *extimatio*. — Faber legi voluit *ut aestimator* i. e. censor; Popma edidit *in insanorum*, cetera ut loco secundo; idem in altera editione primus littera maiuscula prosopopoeiam Existimationis indicavit; illud Gerlachio, Oehlero, Ribbeckio probavit, hoc cum Oehlero atque Ribbeckio secutus est Vahlenus. Ego Fabri coniecturam non habeo quomodo probem, siquidem nec *aestimator* pro censore dictus reperitur, nec censoris sed praetoris erat statuere de furiosis

¹⁾ Tribus syllabis verbum extulit Gerontodidascali fr. 13 ap. Non. III, 340 p. 112, 22 quod sic lego:

confluit
[quicquit] *mulierum tota Romá: quae noctu fieri*
initio solita [esse], etiamnunc indicat fax pinea.

Libri *pineae fax* indicat; *quidquit* Vahlenus invenit anal. Non. p. 24; *initio* pro *initia* Riccobonus; *fieri* producta antepaenultima Varronianum est. *Fluit* duobus syllabis Andabatarum fr. 11 ap. Non. VIII, 4, 19 p. 483, 6. 486, 6:

candidum lacte e papillis cum fluit, signum putant
partuis, quod hic sequatur mulierem e partu liquor.

Nam *lact* Varronem voluisse aegre mihi persuadetur.

(Horat. sat. II, 3, 218. Ulpian. fragm. 12. Digest. XXVII, 10. Iustinian. instit. I, 23); Popmam verum vidisse arbitror. Vahlenus quidem fingens, cum Veritas (fr. 29) disputatione sua (fr. 19. 21. 34. 33. 26) effecisset, ut furiosus, quem putarant omnes, se iam non insaniam captum existimaret, debuisse, quod fama eius insaniam divulgasset, eum ab ipsa Existimatione in sanorum numerum referri, sprevit emendationem Popmae. Sed, ut iam illud mittam, quod non semel adnotavi, quam sit totum illud figmentum inprobabile, ne illud quidem probabilius est, quod *forenses* interpretatur qui in foro versarentur et agerent causas ut fere Quintil. inst. V, 10, 27, qui essent, opinor, pro Aeschylī Areopagitis, et *referat* i. q. *rursus ferat*, quasi quid ferri in numerum vel in tabulas umquam dicatur. Itaque cum Popma Oehleroque et Ribbeckio hoc fragmentum subiicio fragmento 43; forenses popellum tunicatum intellego in foro vel agentem vel vacantem, ad nova quaeque intentum, quam turbam forensē Livius dicit VIII, 46, Graeci ἀγοράϊους, Caelius ap. Cic. epist. VIII, 1, 5 subrostranos, et a pueris ancillisque vix una libertate diversum; Existimationem autem cum Ribbeckio eam quae hodie Opinio Publica vocitatur, cuius decreta potius necesse erat ab ipsa denique Veritate corrigi. Accedit quod *insanorum* melius etiam ad numeros convenit sive versus fuerunt octonarii iambici, ut iudicavi part. II p. 38:

forēnses decernunt ut Existimatio nomen meum

in insanorum numerum referat,

sive trochaici, ut fr. 28, (38?) 39, 40, 43:

. forenses decernunt,

Existimatio nomen meum in insanorum numerum referat,

quadrisyllabo utrobique nomine quod est *Existimatio*, de quo dixi illo loco,¹⁾ omissaque hic particula *ut*, quae tam nata esse potest altero Nonii loco ex vocis praecedentis litteris *ut*, quam altero ob easdem neglecta. Poteratque eadem etiam vocis *numerum* extremis intercipi litteris, siquidem *ū* nota et *um* significabat et *ut*; itemque vocis *meum*, si scriptum erat *nomen meum ut insanorum in numerum referat*: sed omitti licere post decernendi verbum satis constat. Denique si quis ita malit verba dimetiri in septenarios trochaicos: *. . . forenses decernunt, (ut) Existimatio | nomen meum insanorum in numerum referat*, ne id quidem invitissimo me faciat. Certe vocis *insanorum* patet eas et incipientis esse litteras et exeuntis, ut praetermitti in particula alterutro loco facile posset. De vocis *meum* elisione satis providit Ritschelius prolegg. Triu. p. CLIV et CCLXVI.

Rem ipsam Ribbeckius ita informat, hominem insanis volgi clamoribus prope ad insaniam actum quod sibi superesset sanae mentis intendisse ad illorum coarguendam stultitiam; illos eum ut turbulentum et capitalem in ius rapuisse, acta perscripsisse Existimationem, (die „öffentliche Meinung“ führt das Protokoll,) decresse videlicet iudices hominem esse mente captum. At primum nescio an vix satis constet apud veteres in iure dicendo cognitum esse de ipsa cuiusquam mentis valetudine (cfr. Dirksen Zwölf-Tafel-Fragmente p. 379), deinde si maxime concedendum sit solitam esse praetoris interdictum antecedere aliquam causae cognitionem (Digest. XXVII, 10, 6), sitque adeo non incredibile fuisse quoddam in tabulis publicis quasi album furiosorum, consentaneum videtur egisse in hac causa ioculariter conficta forenses iudicum partes, Existimationem magistratus sive praetoris, qui mente captum nomine scilicet in illud album relato ad adgnatos et gentiles deduci iuberet. Verum omnino ego dubito an non fuerit scenica quaedam haec apud Varronem Existimationis prosopopoeia, sed usus ille sit dicendi figura, cuius eum fuisse amantissimum docui II p. 38.

45. (42 R.) Nonius V, 17 p. 434, 23: „Specula et speculum sicuti genere, ita significantia differunt. Nam specula dispicientiam significat. — . Speculum quo imago redditur. — . Varro Eumenidibus: *sed nos simis atque in summam speculam pervenimus, Videmus populum furis incinctum tribus.*“ Idem VIII, 162 p. 295, 25: „Exterritum pavefactum significat. — . Varro Eumenidibus: *videmus populum, furis incinctum tribus, Diversum ferri, exterritum formidine.*“

Loco quem priorem posuimus Venetae sola Nonii verba habent usque ad *significat*, in eisque *et genere et significatione*, item *dispicientiam* cum cod. Guelferb. et edd. Ald. Iun. Merc.; in Varronianis *simis* at cod. Guelf., *simul atque* Bas. 1526. Iun. Merc.; *futuriis* cod. Leid., *futuris* Ald. Iun., sed in notis Iunius *furiis* ex altero loco. In alterius loci Nonianis *expavefactum* Iun., in Varronianis *diversim* Ald.

Ex variis utriusque loci lectionibus *incinctum* cum Scaligero catal. p. 253 et in Verg. cul. p. 23 probaverunt omnes praeter Popmam, qui in ed. 1601 illud *Furiis incinctum* contulit cum versibus Catulli 64, 258, Ennii ex Alcmaeone ap. Cic. Acad. II, 28, 89 (28 R. 51 V.), Sillii XV, 169. Debuerat potius meminisse

¹⁾ Accedit quae haud raro in libris mscr. inter *aestimandi* et *existimandi* verba ductaque ab his nomina ancipiti usu invenitur forma *extimare* et *extimatio*; vid. Drakenborch. ad Liv. XXXIII, 2, 5. Arntzen. ad Pacat. panegy. 27, 3. Gierig. ad Plin. epist. III, 9, 30. Walther ad Tacit. ann. XIII, 17. Quae forma cum non videatur reperiri nisi in hypertrisyllabis, tenor ab ipso verbo declinatus videtur in efficienda syncopa nonnihil valuisse. Sed gloss. Hildebr. p. 136 *extuat* = *aestuat* vel *exaestuat*.

illud Livii I, 47, 7 „muliebribus instinctus furii Tarquinius.“ *Diversim* Scaliger cum Aldina adverbio neque alias obvio neque cum relicuis quae sunt a vertendi verbis facta convenienti.

Versum primum, — nam versus esse inde ab Iunio omnes consentiunt, — talem fecit Scaliger parum elegantem: *sed nōs simulac summam in speculam pervēnimus.* Eum secutus est Popma in ed. 1601. Etiam minus probabiliter Oehlerus: *sed | nos simul atque in summam speculam pervēnimus.* Veros numeros habet versus quem dedit Meinekius Ztschr. f. d. AW. 1845 c. 739: *sed nōs simul atque in altam speculam vēnimus,* in quo *altam* pro *summam* casu non consulto scripsisse virum praestantissimum satis certa, ut puto, opinio est Vahleni coniect. p. 190. Hunc igitur secutus cum Ribbeckio sic versus describo:

*sed nōs simul atque in summam speculam vēnimus,
vidēmus populum, Furiis instinctū tribus,
diversum ferri exterritum formidine.*

Speculam Varro fortasse dixit locum aliquem editum vel subgestum in foro, unde prospici in populum posset. Furias tres quod posuit, secutus esse videtur vel Euripidem Troad. 457. Orest. 1650, vel simulatorum numerum τῶν Σεμνῶν Athenis positorum, de quo referunt Clem. Alex. protrept. p. 30. Schol. Sophocl. Oed. Colon. 39. Schol. Aeschin. in Timarch. p. 747 Rsk. (Polemon. fragm. ed. Preller p. 73); non quidem eas dicens quibus Alecto et Tisiphone et Megaera nomina sunt apud Apollodorum I. 1, 4 et Orpheum Argon. 971, Erinys et Alecto et Megaera apud Servium ad Verg. Aen. I, 11, sed tamen ut Graecae fabulae invento uteretur ad suam notionem informandam, unde ipsi saturae nomen fecit Graecum Eumenidas. Nam apud veteres Romanos nullae erant deae Furiae, fallunturque et Cicero nat. deor. III, 18, 46 et Plutarchus vit. C. Gracch. 17 veterem deam Furinam sive Furrinam cum Furiis confundentes. Nulla apud veteres Romanos invenitur Furiarum aedes, lucus nullus, nulla sacra, nullum indigumentum; sed pro personis esse coeperunt, ex quo Graecorum Erinyes Eumenidesque translatae sunt in Latinorum primum poësin, deinde orationem. Furiosi dicti sunt qui essent mente capti, ut in Iustiniani institutionibus, ita iam in ipsis XII tabulis (Cic. invent. II, 50, 148 Cornif. ad Herenn. I, 13, 23); quorum si a numine aliquo ducta fuisset adpellatio, furiati iam tum essent dicti, ut larvati et cerriti; nunc furiatos pariter ac lymphatos poëtae induxerunt graecissantes, et daemoniosi extremae sunt Latinitatis glossographorum. Furiosi autem cum dicti sint ut luxuriosi, gloriosi, morosi, patet furiam nihil aliud esse quam μανίαν vel quam Sophocles dixit in Antigona v. 603 λόγον ἀνοικαν καὶ φρενῶν ἐκρινόν. Cfr. Muncker. ad Hygin. fab. 107 et ad Fulgent. mytholog. I, 1. Quamquam maniosus iam nullus est apud Ammianum Marcellinum XXVIII, 4, 16. Quod autem pluraliter adpellantur fere ubique furiae, ea res etsi non aliena videri potest a personarum fabularum quadam recordatione, (Μανίαι vocabantur Megalopoli Eumenides, Pausan. VIII, 34, 1,) ipsam tamen in se positam habet caussam malum multiforme accessuumque ac facinorum varietate ac violentia insigne. Eademque ratione μανίαι dicuntur a poëtis Graecis, ut Aeschyl. Prometh. 879. Eurip. Heracl. 904. Herc. fur. 835. Pindar. Olymp. 9, 39. Et sic Plautus Mil. 434 „quae te intemperiae tenent?“ Epidic. 3, 4, 43 „quae intemperiae te tenent?“ Aulul. 1, 1, 3 „non enim mecastor quid hero ego dicam meo malae rei evenisse quamve insaniam, queo comminisci; — nescio pol quae illunc hominem intemperiae tenent“; et 4, 4, 14 aperta prosopopoeia „Laruae hunc atque Intemperiae Insaniaeque agitant senem“, quem versus minus recte dimensus sum part. I p. 15. 1) Varro autem media quadam inita ratione cum hanc furiarum notionem adhibito Graecarum personarum apparatu exornaret, homines varia vecordia actos dearum fecit formidine exterreri. Sed hanc quoque ego crediderim declamatoriam quamdam potius quam scenicam esse prosopopoeiam i. e. non oculis visa sed mente perspecta narrari et, quo acrius moveantur audientium, animi quasi quodam phantasmate, ut ita dicam, imaginari. Nam fr. 46. tertia Furiarum, licet os eius et coma et vestitus describatur, ipsa tamen in volgi pectore nexa stare dicitur

1) Add. Gell. I, 17, 2, ubi quae vocantur Xanthippae in maritum Socratem intemperies comparari possunt cum muliebribus furiis quibus instingitur Tarquinius apud Livium I, 47, 7. De Gell. praefat. 19 vid. Forcellinum s. v. Martianus Capella II, 164 sic scribens: „in his etiam locis Submanes eorumque praesites Mana atque Manuana, Dii etiam quos Aquilos vocant, item Fura Furinaque et mater Mania Intemperiaeque et alii triptes (?) deorum degunt,“ ut Furias cum Furina, ita etiam μανίαν cum matre Mania videtur confudisse. Ceterum non una hac notione contineri hunc de quo dico multiplicandi usum, sed patere latissime multumque etiam in ipsa theologia ad Musas Gratias Parcas aliasque id genus deas gregatim atque ut ita dicam collegiatim confingendas valuisse, omnes periti satis norunt. Ternarii autem in his numeri vel ea ratio est quam posuit Lobeckius Aglaoph. p. 83, vel quod primum numerum veteres putabant ternarium i. e. primam multitudinis significationem, eundemque primum perfectum, de quo cfr. Serv. ad Verg. bucol. 8, 75. Plutarch. vit. Fab. Max. 4 et quae congesti ad Hippolyt. philos. 2 in Philol. VII p. 546. 549. Aliam rationem Vergilianam interpretes excogitarunt, quod dicantur eadem Dirae in caelo, Furiae in terris, Eumenides apud inferos, ut est apud Servium in Aen. VI, 609; cfr. in III, 209. XII, 846.

46. (43 R.) Nonius III, 418 p. 390, 9: „Severum, triste. Varro Eumenidibus: *tertia poenarum infamia, stans nexa in vulgi pectore, fluctuanti intonsa coma, sordida vestitu, ore severo.*“

Cod. Basil. in *fama*; edd. Venett. *fluctuatim*; Iun. *sordido*. — Ribbeckius *nixa*; Scaliger in Vergil. cul. p. 23 et Popma in ed. 1601 *volgi*; Hermannus elem. doctr. metr. p. 389 *fluctuatim* e Venett., etiam pro *fluctuanti* coniciens *fluitanti* quod recepit Prellerus p. 625, Vahlenus p. 190 *fluctatim*, Ribbeckius *fluctanti*; denique *sordido* cum Iunio Popma, Oehlerus, Prellerus.

Poenas hic Furias dici recte adnotavit Scaliger, quem *Poenarum* littera prima versali, quam vocant typographi, scribentem inde a Popma in ed. 1601 secuti sunt praeter Gerlachium omnes. Estque nomen Graecis pariter ac Latinis usitatum. Velut Aeschines in Timarchum p. 27 St. *μη γὰρ οὔσεθε*, inquit, — — *τοὺς ἡσεβηκότας καθάπερ ἐν ταῖς τραγωδίαις Ποινὰς ἐλαύνειν καὶ κολάζειν δαείων ἡμμέναις κτέ.*, quem locum plus semel imitatum videmus Ciceronem, pro Rosc. Amer. 24, 67. in Pison. 20, 46. de legibus I, 14, 40; alia exempla praebent Polybius XXIII, 8, 2. Strabo III, 5, 11 p. 175. Plutarchus vit. Oth. 1. Lucianus necyomant. 9. Hinc *ποινήλατος* et *ποινήλατεῖν*. Cicero Verr. V, 43, 113 „non testium modo catervas, cum tua res ageretur, sed ab Dis Manibus innocentium Poenas scelerumque Furias in tuum iudicium esse venturas“; cfr. 46, 121. Idem I, 3, 7 „agunt eum praecipitem Poenae civium Romanorum, quos partim securi percussit, partim in vinculis necavit“ e. q. s. Idem pro Cluentio 61, 171 „nisi forte ineptiis ac fabulis ducimur ut existimemus illum apud inferos in piorum supplicia perferre, . . . a socrus, ab uxorum, a fratris, a liberum Poenis actum esse praecipitem in sceleratorum sedem ac regionem.“ Add. Vergil. cul. 217. 370. Valer. Flacc. Arg. I, 796. Stat. Theb. VIII, 25. Cic. in Pis. 37, 91 et „poenales aquae“ Plin. nat. hist. III, 8, 15. Itaque probabile est, non aliam hic dici tertiam Poenarum, quam earum trium Furiarum, quae sunt commemoratae fr. 45. Unde mirum accidit Infamiae nomen, quae non est furia i. e. interna quaedam animi perturbati adfectio, sed legis poena et quaedam capitis deminutio (cfr. Becker Hdb. d. röm. Alterth. II, 1 p. 121 sq.); cuiusmodi poenam qui describi hoc loco a Varrone putabat Cuiacius paratitl. in Digest, III, 1, 2 consultius egisse videtur quam qui, tertiam Furiarum cum acciperent, non haeserunt in Infamia. Nam quasnam suas tres illas Furias finxerit Varro etsi ignorari puto ac me certe fugit si quis explicuerit, Kayserum quidem in censura Vahleni coniectaneorum, Heidelberg. Jahrb. d. Literat. LIII, 4 p. 247, Infamiae Furiae tertiae addentem primam Famem, quae avaros agitet, secundam Molestiam, quae voluptarios, ipsamque Infamiam cum Existimatione, quae sapientem inter insanos referat, componentem, tantum abest ut verum vidisse mihi persuadeam, ut propius abesse videantur quae sunt apud Isidorum origg. VIII, 11, 95: „Aiunt et tres furias foeminas crinitas serpentibus, propter tres affectus, qui in animis hominum multas perturbationes gignunt, et interdum cogunt ita delinquere, ut nec famae nec periculi sui rationem habere permittant. Ira, quae vindictam cupit: cupiditas quae desiderat opes: libido, quae voluptates appetit. Quae ideo furiae appellantur, quod stimulis suis mentem feriant et quietam esse non sinant.“ Atque, ut breviter dicam quod sentio, quemadmodum fr. 43 in edd. Venett. *infamiae* legitur pro *insaniae*, eundem errorem hic libros prope omnes occupasse arbitror veraeque lectionis vestigium tenere codicem Basil. in quo est *infama*, quod ipsum est *insania*. Insania autem quam sit digna quae in Furiis habeatur, quae quos agitant insanire cogunt, res est notissima. Et conferri potest *Ἀύσσα* persona ab Aeschilo in Xantriis (Suid. v. *δκιώπων*) et Euripide in Hercule furente inducta, Furiarum certe simillima atque adeo quarta a quibusdam dicta, quam Insaniam Deam eleganter interpretatur Pflugkius Eur. Herc. fur. proem. p. 6. Quas vero malae mentis plagas huius pares primae ac secundae Poenae tribuisse poeta videatur, ne sic quidem despero inventuros esse quibus datum est ignorabilia divinare. — *Nixa* non male coniecit Ribbeckius, sed videtur quod in libris est ferri posse atque, si *Insania* scriptum est ab auctore, etiam praestare. — *Volgi* scripsisse Varronem prorsus credibile est; apud Nonium antiqua illa scriptura *vol* fere ubique cessit recentiori *vul*. — In volgi pectore quod stantem dixit poeta Poenam miscuitque cum persona rem ipsam, fecit ut Euripides, apud quem Herc. fur. 863 ait *Ἀύσσα* illa: *οἱ ἐγὼ σταδιοδρομοῦμαι (?) στέρον εἰς Ἡρακλέους*: recteque suam ipse coniecituram *vulgi in ore* Gerlachius abiecit in addendis et corrigendis. — *Fluctuatim* an *fluctatim*, *fluctuanti* an *fluctanti* scribatur rectius ne dubium quidem esse puto, quando alterae formae sunt Latinis usitatae, alterae fictae a Ribbeckio, qui *fluctanti* non iustius Varroni obrusit metri caussa, quam *fluctatim* Afranio v. 237, unde sumpsit Vahlenus. Sed ipsum adverbium quod est *fluctuatim* ut egregie convenit Afranii loco, ita et adfectatius est apud Varronem et caret meliorum librorum auctoritate facileque potuit *m* nasci ex sequenti syllaba *in*. Denique *fluitanti* ad *pectori* relatum, ut voluit Prellerus, non puto Latinum esse, ad *coma*, ut Hermannus, non necessarium; *fluctuanti* cum possit referri utroque, aptius tamen cum *coma* coniungetur, nec male Oehlerus contulit ex Gellio V, 14, 9 hoc de Androcli illo leone dictum „toris

comisque cervice fluctuantibus.²⁾ Duratur autem metro postulante *u* vocalis in consonam, ut *beluae* fr. 22, *maluisti* Lucil. fr. inc. 3 Gerl. aliaque de quibus cfr. Corssen II p. 167 et Luc. Mueller. p. 256, qui ne illa quidem quae sunt *fortuitus* et *gratuitus* debebat excipere propter unum illud *gratuitum* Stat. silv. I, 6, 16, idem passum a dactylicis poetis quod eadem fere aetate *cui* in pyrrhichium distractum. — *Sordido* numeri respuunt; quos cum sensissent magis quam intellexissent Scaliger et Popma, Hermannus vidit esse anapaestos dimetros, quos illum ducem secutus malo sic distinguere:

*tertia Poenarum Insania stans
nexa in volgi
pectore, fluctuanti intonsa coma,
sordida vestitu, ore severo,*

quam cum Ribbeckio: . . . *tertia Poenarum* | I. st. n. i. v. | e. q. s. Illud in incerto relinquo an, quoniam ultima dimetrorum syllaba anceps est, *severa* scribendum sit; in quo si plus videatur esse concinnitatis, non tamen necesse erat eam sequi poetam.

Ceterum in habitu Furiarum describendo non dignus erat hic locus, qui ab archaeologis omitteretur.

47. (7 V. 41 R.). Nonius I, 246 p. 49, 26. „Directi dicti crucifixi, quasi ad diem erecti. Varro Eumenidibus: *apage in directum a domo nostra istam insanitatem!*“ Idem II, 414 p. 122, 27: „Insanitas. — Varro Eumenidibus: *apage in directum a domo nostra istam insanitatem!*“

De prioris loci lemmate in ed. Iun. omisso dictum est ad fr. 36 p. 14. In Varronianis ibi cod. Leid. *in directum*, edd. Venett. *in die rectu*; cod. Leid. et ed. Ald. *ad sanitatem*. Altero loco Venett. *indirectum*, Ald. *in directum*. — *In directum* iam Perottus legit in Cornu Copiae p. 20 ed. Ald.; *insanitam* priori loco restituit Bentinus; *insaniam* non Popmae coniectura est, sed exstat in edd. Durdrecht. et Bipont., quarum prioris in margine est *insanitate*.

Versum Vahlenus et Ribbeckius fecerunt iambicum septenarium:

apage in directum a domo nostra ista insanitatem;

in quo duabus rebus est a Plautino usu discessum. Primum enim haec vox quae est *directus* apud Plautum, licet nonnullis in locis aliquid haereat vitii, coalescentibus *i* et *e* solet esse trisyllaba; deinde eadem non ipsam malam rem significat in quam quis abire iubetur, sed eum qui iubetur, sive *διάρρητος* est *directus* secundum Salmasium ad Plaut. Capt. 3, 4, 103 et Doederleinium Synonym. VI p. 102, sive secundum Rostium cuped. Plaut. ferc. III quasi *disdirectus*. Ac dubito an alteri malo vix satis opituletur Paulus exc. Fest. p. 69 scribens: „*Directum* dicebant per antiphrasin, volentes significare malum diem“, ubi etiam in quibusdam codd. est „diem rectum“, quos esse interpolatos dicit Odofr. Muellerus et adparere Verrium locutionem eiusmodi interpretari voluisse qualis sit haec Varroniana *apage in directum a d. n. i. i.* Nam studiosior haud dubie fuit Varro sermonis Plautini atque intellegentior, quam a quo, quamvis saepe hariolante in verborum originibus, exspectari tale quid possit. Itaque non multum abest quin mihi persuadeam *hinc* scriptum esse ab eo pro *in* et *directam* pro *directum* his numeris vel iambicis septenariis:

. *apage hinc directam a domo nostra istam insanitatem,*

vel trochaicis octonariis

. . . *apage hinc directam a domo nostra ista insanitatem.*

Sententiam fragmenti dupliciter explicat Vahlenus, aut gallos istis verbis insanum ex aede sua repellere videri, aut precari aliquem ut furor iste gallorum semper a domo sua procul absit, ut Catullus 63, 92 „procul a mea tuus sit furor omnis, era, domo.“ Prius non inprobaverim ego, alterum praeferunt Ribbeckius et Kayserus p. 248.

48. (27 R.). Nonius VI, 22 p. 451, 33: „Ebrius et ticinius non vinulentos aut sino civo, sed expletos qualibet re possumus dicere. Varro Eumenidibus: *et ceteri scolasticis auribus scolica dape aqua ebriis festicae aperantologia, consurgia consurgimus, ieiunis oculis.*“

In ipso lemmate haec variantur: *ebrios* et cod. Guelferb. et editiones praeter Basil. 1842; *ticinnius* cod. Guelf., *titindos* ed. princeps, *tricinios* ed. 1480 et Venett., *ticinios* Ald. et Iun. (in qua hic locus est

¹⁾ Versus hic est senarius plenissimus, suntque eo ex genere conplures in illa narratione, ut „invisitata aut forma erat aut ferocia“ § 8, „et ut mihi a domino, terrae illius praeside“ § 17, „tum sole medio rapido et flagranti specum“ § 18, „recondo. neque multo post ad eandem specum“ § 19, „revelli conceptamque saniam volnere“ § 22. Sunt autem multo plures quorum aut maiores quaedam particulae facile adgnoscantur, aut verbis leniter mutatis ipsi numeri instaurari possint. Accedit, quod summum est, color narrationis et verba insolentius delecta atque composita. Ne multa, carmen aliquod Latinum Gellius in orationem pedestrem dissolvit mihi videtur, uti fecit in Aesopio illo Ennii de aviculae nidulo apologo II, 39 et in Varronis satura quae inscripta fuit Nescis quid vesper serus vehat XIII, 11. Carmen autem tale dico qualia sunt in Phaedri fabulis II, 5. III, 10. IIII, 21. 24. V, 1. 7. VI, 8. Et auctorem Apionem illum Plistoniceum quod laudavit Gellius, ea id ratione fecisse eum puto, de qua dixit Mercklinus in Fleckeiseni Jahrb. f. class. Philol., Suppl. III p. 642 sq.

superiori continuatus seiungique iussus in notis ed. 1583), coniecit Iunius *ex Titinio*, Lipsius nescio quo loco *et ieiunos*, quod iure recepit Mercerus; *vinolentos* edd. praeter Bas. 1842; *ausi nocivo* Venett., *aut si nocivo* Ald. Iun., *aut vinosos* coniecit Iunius, *aut sine cibo* ex emendatione Lipsii recepit Mercerus, *aut solo cibo* coniecit Gerlachius. In Varronis loco *caeteris* Venett. Ald., *caeteri* Iun.; *scholasticis* Venett. Ald. Iun. Merc.; *auris* om. Ald. Iun., *viris* princ., *aures* marg. ed. Durdr.; *solida* princ., *scholica* Ald. Iun. Merc.; *dape aque* princ., *dapea: qua* Venett., *dape, qua* Ald., *dape atque* Iun.; *festice* Venett. Ald. Iun. Merc.; *ἀπεραντολογία* Ald. Iun. Merc.; *coniurgia* Venet. 1496; *consurgimumeiunis* cod. Bamberg. ap. Ribbeckium.

Iunius sic legi voluit: *et alteri scholasticis fartis auribus scholica dape, atque ebris festiva ἀπεραντολογία, consurgimus ieiunis oculis*. Popma in ed. 1589 Aldinam secutus recepto in ed. 1601 Iuniano illo *atque* legendum coniecit *expletis scholasticis*; idem „festicè ut regificè“ inquit, et „consurgia consurgimus ἔλλητισμός“ ut in illo Catulli Gaudia quae gaudeas, consurgium esse ut vigiliam in Endymionibus. Gerlachius *festucae* coniciens quid cogitaverit obscurum est; sed egregia est Rothii emendatio *scolastici saturis*. Ea recepta Oehlerus edidit: *et ceteri scholastici saturis auribus scholica dape atque ebris festivae ἀπεραντολογίας injuriā, consurgimus jejunis oculis*; a quo in postremis sic discessit Ribbeckius: *festiva aperantologia, consurgimus, [at] ieiunis oculis*. Ego in Vindiciis alteris (Philol. XVII p. 96) locum sic descripsi numeris trochaicis septenariis:

. et ceteri scolastici
saturis auribus scholica dape . . . atque ebris
festivae aperantologias iurgio consurgimus
ieiunis oculis

In quibus, — necdum enim inveni meliora, — verum secundum arbitror non inepte expleri posse addita voce Graeca ἀποριῶν, quo de quaestionum convivalium genere exposuit Lehrsus Aristarch. p. 214 sqq., exemploque esse potest locus Gellii XVIII, 2, 6 sqq. De hiatu tertii versus cfr. Lachmann. in Lucret. VI, 743. Festicam cavendae ambiguitatis causa consulto dixit poeta, non festivam; agitur enim dies festus a scholasticis, ut intellegitur ex fr. 3 et 4. De genetivo qui est *aperantologias* dixi ad fr. 29 (II p. 36) et Philol. I. I.; adparet vero etiam c littera Graeca i. e. ζ, quam facile cum *con* syllabae aliquo siglo, velut *c*, potuerit permutari.

Quod autem versu quarto dictum est *ieiunis oculis*, satis probabiliter interpretatur Ribbeckius, scholasticos, postquam convivantium aures essent audiendis disputationibus velut exsaturatae atque inebriatae, iam oculos quoque pascendi causa coepisse prodire in publicum, eoque probabilius in media satira videtur quam Oehlerus in extrema huic fragmento locum tribuere.

49. (R. 26.). Nonius VIII, 6 p. 498, 32: „Genetivus pro ablativo. — — — — —.“
Varro Eumenidibus: *ego autem, qui essem plenus vini et Veneris.* — — — — —.

Lemma abest ab edd. praeter principem et novissimam, exemplis ad superius lemma quod est „Genetivus positus pro ablativo vel adverbium (al. adverbio) loci“ relatis. In Varronis verbis nihil variari video.

Ribbeckius hunc locum superiori antepositum ita continuavit, ut *ego et ceteri scholastici* commune habeant praedicatum *consurgimus*. Vix satis commode, ut opinor; videturque mihi inter fr. 49 et fr. 12 positus fuisse a Varrone, qui diceret hominem relicta cum ceteris schola plenum vini et Veneris petisse locum mulieribus celebrem, unde stolam calceosque muliebres caperet, progressusque „partim venusta muliebri ornatus stola“ populo pro insano se habendi faceret occasionem sibi et ipsis muliebriter vestitis se immiscendi facultatem. Eamque rem, quamquam multum abest ut unice veram aut solam probabilem esse contendam (cfr. quae dixi Philol. XV p. 271 sqq.), tantum in praesens apud me valere patior, ut malim versus trochaici septenarii fragmentum sic dimetiri:

. ego autem qui essem plenus vini et Veneris

quam aut octonarii in hunc modum: ego autem qui essem plenus vini et Veneris, aut septenarii iambici in hunc: *ego autem qui essem plenus vini et Veneris*, et quos in utroque genere me non fugit alios relinqui pedum dinumerandorum modos. Ribbeckio illud solum „plenus vini et Veneris“, si recte interpretor adpictas coronidas, visum est orationi inmixtum esse quasi quoddam nescio cuius auctoris frustum poëticum; quod ego incertissimum puto ac prorsus arbitrarium; vid. Philol. XVII p. 96 et de toto isto versus Varronianos eludendi artificio p. 86 sqq.

Haec habui de singulis huius saturae fragmentis quae proponerem, in quibus id maxime agendum putavi, ut emendarem verba, aperirem sententias, restituerem numeros. Superest ut de universae conformatione

deque fragmentorum ordine dicendum videatur. Quae res quam sit lubrica ac dubitationum plena, ut cum aliqua probabilitatis fiducia non modo effici sed ne institui quidem possit, cum in Vindiciis primis adversus Vahlenum (Philol. XV p. 271 sqq.) exposuerim, supersedere nunc pluribus licet. Sed quoniam aliquem editor secundum eam quam animo suo informavit totius fabulae imaginem quamvis obscuram atque evanidam incertamque facere tamen debet ordinem reliquiarum nullo ordine traditarum, isque quem reiecto haud iniuria Popmano fecit Oehlerus aliquot locis falsus est, id quod intellegitur divolsis quibusdam haud dubie ad rem eandem pertinentibus, Vahleni autem ordo et imperfectus est et ad fabulam parum credibiliter excogitatam institutus; id quidem non eo infitias a Ribbeckio esse fragmenta elegantius et cum maiori quadam specie probabilitatis digesta, sed ita tamen idem ea in re nonnumquam temere mea quidem sententia et ad fidem faciendam parum apte versatus videtur esse, ut, meus mihi ordo si ineundus sit, aliquotiens discedendum ab eo putem. Atque equidem ita fere digesserim quae supersunt: 1, 2, 8, 34, 32 (servorum inter se colloquium idemque narrationis insequentis prooemium); 3, 4 (de cenae scholasticae adparatione); 6, 7, 5 (de conviviarum pro meritis ordine); 11, 10 (de cenae ad antiquum morem frugalitate); 9, 14 (de intermediis quibusdam); 22, 21, 19, 33, 23, 25, 31, 30, 24, 26 (de Stoicorum aliorumque philosophorum opinionibus praecipue circa hominum insaniam); 48, 49, 42, 12, 13 (de fine convivii et quibusdam quae in publicum progressis evenerunt); 45, 46, 43, 28, 44 (de incidente in Furias et pro insano habito); 35, 38, 36, 37, 39, 40, 41, 47 (de iis quae apud aedem Matris Deum acciderunt); 16, 17, 27, 20, 15, 18 (de incubante Serapidi); 29 (de iudicio Veritatis). Quem equidem ordinem ita pono, ut et sciam quam ipse incertus sit nec spondeam semper me eius tenacem fore. Totius saturae argumentum positum fuisse in describenda varia mortalium vel pro sanissimis habitorum insaniam atque vecordia, satis declarant fragmenta plurima; sed inter ipsam et logistoricum, qui inscriptus fuit Orestes vel de insaniam, quae olim ratio intercesserit, praeter commune illud saturarum ac logistoricorum discrimen hilaritatis atque gravitatis sive scenici generis ac didactici in tanta Orestis reliquiarum paucitate adsequi vix quisquam poterit aut definire.

Addenda et corrigenda.

I p. 1. De Bimarci fr. 7 accedunt coniecturae Vahleni p. 144 et Ribbeckii p. 123, sed manet dubitatio. ∞ I p. 4. De Endymionum fr. 2 dixit Vahlenus anal. Non. p. 29 sqq. Versus ego iam puto facilius restitui posse octonarios trochaicos; *ánimum mītto spéculatūm tota úrbe, uti, quid fácerent homines, | cum éxperrecti sūnt, me fáceret cértiorem, ut si quis melius | óperam sumerét, [ut . . . : . . . : . . .] ut | éius consilio pótius vigiliūm amminicularémus nostrum | quód vidit aliūm eurtantem extrémā noctis témpora*. In quibus *amminicularémus* Vahleno debeo, qui scripsit in margine exempli ad me missi. ∞ I p. 5. Tanaquilis fr. 1 melius restituit Vahlenus coniect. p. 73 accessitque supplementum Fleckeiseni p. 221. Quinquatruum fr. 1 verissime emendavit Buechelerus p. 428, ad quem locum numeros refeci, quos pravo elegantiae studio satis inelegantes dedit Muellerus p. 414. ∞ I p. 6. De *Έχω σε* fr. 3 obloquenti Vahleno anal. Non. p. 21 sq. non credo locum non esse poeticum et numerosum, quamquam veriores meis et numeros et emendationes inveniri posse facile consentio. De Flaxtabularum fr. 5 iterum dixi in Philol. XV p. 275 sqq. ∞ I p. 7. De Gerontodidascali fr. 10 et Modii fr. 17 uberius exposui in Philol. XV, p. 283 sqq. Priorem locum nuper Muellerus metr. p. 415 in Sotadicum metrum coëgit pede epiritro tertio *uxori sol-*, qui a Varronis arte excludendus adhuc mihi videtur. Alterius de mensura idem consentiens cum Kochio et Vahleno versum priorem sic facit exeuntem verbis traiectis: *volúptatem hanc eandem*, artificio prorsus supervacaneo. Buechelerus p. 434 utroque loco prosam tuens nihil agit. ∞ I p. 8 ad Sesquiulixis fr. 21 *putria saxa* etiam aptius conferentur Senec. epist. 12, 1. Lucret. V, 307. Liv. XXI, 37, 2. Plin. epist. XII, 48, 2. Claudian. in Eutrop. II, 277. Sed praestat fortasse emendatio Vahleni coniect. p. 123, nisi quod *saxa* etiam nunc praetererim. ∞ I p. 10. De Aboriginum fr. 4 cfr. Philol. XV p. 275; de Sesquiulixis fr. 7 p. 274 sq., de fr. 8 p. 294 sqq.; de Parmenonis fr. 5 quae in Vindiciis tertiis brevi tandem, ut spero, prodituris dixi ad Buecheleri p. 428. ∞ I p. 11. In Sesquiulixis fr. 10 probo emendationem et numeros Vahleni p. 28 et 100, frustra prosam vindicante Buechelero p. 432; de fr. 11 vid. Philol. XVII p. 80; de fr. 24 vid. ibid. p. 90. De *Όνος λόγος* fr. 1 vid. Philol. XV p. 291 sq., de fr. 2 Philol. XVII p. 99 et ad Buecheleri p. 444. ∞ I p. 12. De *Όνος λόγος* fr. 6 Philol. XVII p. 95, de fr. 7 ibid. p. 94. Videtur is locus sic legi posse numeris non perelegantibus quidem illis sed tamen veris septenariis: *nón vidisti simulacrum leónis ad Idam eó loco | úbi quondam subito eum cum vidissent quadrupedem galluli | tympanis adeó fecerunt mánsuem ut tractarént manu*. Vahlenus coniect. p. 26 *ibi quondam cum subito eum vidissent galli quadrupedem*; Muellerus p. 438 *leónis Idai loco | úbi eum quondam subito cum vidissent galli quadrupedem*, quo nempe nihil potest esse emaculatius. ∞ Fr. 8 recte Vahl. coniect. p. 14 et Ribb. p. 114 *nempe [tú]*, quantumvis cavilletur Muellerus p. 433; versus tertius sic distinguendus erat *veritís. ah artém praeclaram*, nisi quid forte intercidit et alius locus fuit verbis illis *ah artem praeclaram*, quibus vix inchoato versu in prosam orationem desiluisse poetam, nescio quam saturae libidinem cogitaverint Vahlenus et Ribbeckius cum scriberent. Fr. 11 versus primus sic legendus videtur: *. . . sin plus testicularum offénderis, tertius vincór hominem esse másculūm ad rem . . .*, medium in medio relinquo. De fr. 12 dixi II p. 24 et ad Buecheleri p. 432; videndum autem an prior pars restituatur deleta particula *in*, ut sit *. rústicos vindémia* i. e. vindemiae tempore. Papiapapae fr. 1 non recuso quin praeferratur lectio Vahleni p. 46 et 225 Ribbeckiique p. 225; ipse conieci *. ille aléctryon qui súscitavit | hárum Musarúm scriptores*

anne hic qui gregem rabularum. Fr. 2 recepto, ut fecerunt Vahlenus p. 47 et Ribbeckius p. 126, Merceriano illo quod est *resides* sic legi potest: *quatre resides lingulacae, | obtractatorés [isti] tui, iam nunc murmurantes dicunt: | μωμῆσεται τις μᾶλλον ἢ μιμῆσεται.* ∞ De Papiapapae fr. 5 vid. Philol. XV p. 292. Fr. 6: *si et accusator et reus | erunt tenebriones, uterque utrumque vituperato,* sive monosyllabum fuit *reus*, sive octonarium excepit septenarius. Fr. 7 non debui scribere *innocuis* pro eo quod e ms. Daniel. refertur *in noxiis*. De *noxiis* bisyllabo cfr. Lachmann. in Lucret. V, 85 p. 281 sq. In libris plnrisque est quidem *cum motus*; sed de *in* et *cum* confusis vid. Hand. Tursellin. II p. 171, et sunt similia motus et noriis. *Furacissimus* emendatio est A. Nauckii in Philol. III p. 299. Fr. 9 eorundem numerorum iteratio: *Graecis renuntiato et nos ab his amari et commurmurantur aucto*, quamvis de ceteris non liqueret, suadebat ut de septenariis cogitarem, melius facturus, si tales dedissem senarios: . . . *hoc Graecis renuntiato, uti | facile intellegeres nos ab his amari, | commurmurantur aucto.* Adverbium tuentur similia, ut iterato, festinato, directo; cfr. Zumpt. gramm. § 266. Sin Graecum verbum scripsit, non *αυτοί* malim cum Oehlero et Vahleno vel *αυτῶ* cum Ribbeckio quam *αυτόθεν*. Incerta sane emendatio est loci abrupti ut obscura sententia, in qua explicanda homines docti mire sibi indulerunt. ∞ Ip. 16 n. 2 add. Cyprian. de idolor. vanit. 4. ∞ Ip. 17. De *Υδροκνος* fr. 1 dictum in Vindictiarum tertiarum parte ea quae est de fragmentis a Gellio servatis; de Bimarci fr. 25 ibid. ad Buecheleri p. 447. ∞ Ip. 20 n. 2 add. Mommsen. inscript. regn. Neap. 6302, 2. ∞ Ip. 21. Pro senariis iambicis septenarios trochaicos fecit Luc. Muellerus p. 413 cavens nimirum ne in duas voces iambicas exeat senarius. ∞ Ip. 22. De triciis add. Petron. 53, 12. ∞ I, 23 l. 26. *forus, macellus* Nov. ap. Non. p. 206, 18, *dorsus* Plaut. Mil. 397. L. 28 add. Struve lat. Declin. u. Conjug. p. 52. L. 36. Etiam fr. 8 et 9, ut alii fr. 6 et 7, versibus Saturniis descripsit Muellerus p. 89 probabilitate nulla. L. ult. add. Senec. Hippol. 1019. Herc. fur. 1148. Thyest. 267. ∞

